lf
QL
55
.B7
H4

ℓfQL55
.B7
H4


NEW • YORK • BOTANICAL • GARDEN
PRO SCIENTIA ATQUE POPULIQUE SALUTE
1891
LIBRARY

D. IV. a. 1.

~~LXIX. VI.~~

LAVRENTII HEISTERI
SERENISSIMI BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCIS
CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATRI, MEDICINAE, CHIRVRGIAE AC BOTANICES
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA, QVAE HELMSTADII EST, PROFESS. PVBLICI
ACADEMIAE SCIENTIAR. CAESAREAE REGIAEQVE LONDINENSIS
ATQVE BEROLINENSIS COLLEGAE

DESCRIPTIO

NOVI GENERIS PLANTAE RARISSIMAE
ET SPECIOSISSIMAE AFRICANAE
EX

BVLBOSARVM CLASSE

CVI
IN HONOREM ATQVE SEMPITERNAM MEMORIAM
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI CAROLI

BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCIS
HODIE REGNANTIS
TANQVAM
REI HERBARIAE SVMMI PROMOTORIS ET FAVTORIS
MVNIFICENTISSIMI

BRVNSVIGIAE

ILLVSTRE NOMEN
IMPOSVIT.

IN QVA SIMVL MVLTAE BOTANICORVM QVORVNDAM HALLVCINATIONES
INDICANTVR ET EMENDANTVR
CVM TRIBVS MAGNIS TABVLIS AENEIS HVIVS PLANTAE
COLORIBVS NATVRALIBVS REPRAESENTATAE.

BRVNSVIGAE
TYPIS ORPHANOTROPHEI. MDCCLIII.

LIBRARY
NEW YORK
BOTANICAL
GARDEN

LAVRENTII HEISTERI

HORTI ACADEMICI HELMSTADIENSIS
CVRATORIS AC PRAEFECTI

DESCRIPTIO
NOVI GENERIS PLANTAE RARISSIMAE ET SPECIOSISSIMAE BVLBOSAE AFRICANAE
BRVNSVIGIA

IPSI DICTAE.

LIBRARY
NEW YORK
BOTANICAL
GARDEN

I.

Quamvis inter plures claſſes ſive familias plantarum, quas natura produxit, ſive, ut clarius loquar, quas Deus omnipotens creavit, pulchræ, imo pulcherrimæ quædam ſint: tamen inter omnes pulchriores et amœniores vix reperiuntur, quam quæ *Bulboſæ* vel *Liliaceæ* vulgo appellantur, quarum nonnullæ adeo inſignem faciem, habitum atque adſpectum exhibent, ut propter pulchritudinem viſus noſter iis ſatis ſatiari nequeat; quales inter ceteras præſertim ſunt *Lilia campi*, de quibus SERVATOR loquitur, quando inquit: adſpicite *Lilia campi*, quæ tam pulchra ſunt, ut SALOMON in omni ſua gloria tam pulchre non fuerit amictus. Hæc vero *Lilia campi* propterea non videntur fuiſſe lilia noſtra vulgaria, quæ albos aut croceos vulgo proferunt flores, utpote quibus Rex ille ſplendidiſſimus et potentiſſimus facile pulchriores veſtes habere potuiſſet; ſed veriſimilius mihi longe eſt, CHRISTVM ſub Liliorum nomine *Tulipas* nobis dictas intellexiſſe; utpote quæ in Turcia, ubi olim terra ſancta ſive Palæſtina fuit, ſponte creſcunt, ubi etiam CHRISTVS vixit, quæ tanta, ut notum eſt, colorum pulcherrimorum varietate ludunt, ut vix his æquales, multo minus pulchriores veſtes SALOMON habuerit. Ita præterea *Crocorum*, *Hyacinthorum*, *Narciſſorum*, *Lirio-Narciſſorum*, *Lirio-Sphodelorum*, *Sprekeliarum*, *Colchicorum*, *Fritillariarum*, *Coronæ Imperialis*, *Martagonum*, *Methonicarum*, *Iridum*, *Iriaſtrorum*, *Orchidearum* nonnullorum flores tam pulchri ſunt, ut plerorumque infantum, puerorum et puellarum, juvenum et virginum, imo et ſeniorum, qui Omnipotentis opera adeo nitida ac ſplendida conſpicere amant, atque admirantur, amorem ad ſe excitent et quaſi trahant, atque ſic inter omnes plantarum cohortes quaſi *prætoriam* conſtituant. Multarum etiam nobilium harum plantarum ſuaviſſimus et fragrantiſſimus, et cum primis ex *Hyacinthis*, *Tuberoſis*, *Muſcari*, *Narciſſis*, *Liliis* vulgaribus, *Liliis convallium*, aliisque eſt odor, qui ſummopere etiam plerosque delectat ac reficit, ſic, ut ſenſibus quaſi deſtitutus ille videri poſſit, qui ſummi Numinis adeo pulchris ac mirabilibus operibus non afficiatur atque commoveatur.

In bulboſis flores ſunt pulcherrimi.

II. Ex præcipuis, quæ egregium et ſplendidum adſpectum inter has exhibent, eſt re vera, ex mea ſententia, illa inſignis planta, quam hic deſcribere, et de qua nunc agere conſtitui, BVLBOSA Africana, et, ut mihi videtur, nova ac pulcherrima, quæ in Helmſtadienſi horto medico 1750 Octobri et Novembri in hybernaculo primum floruit, et quam ex liberalitate ac favore erga me ſummo Viri perilluſtris ac generoſiſſimi, Domini ab IMHOFF, Sereniſſimo Duci Brunſuicenſium et Luneburgenſium a Conſiliis Cameræ ſecretioribus et fodinarum hercynicarum Directoris prudentiſſimi, bonarumque artium ac ſcientiarum amatoris et promotoris maximi, anno 1748 æſtate accepi; qui eam, ut ex ipſo intellexi, ab illuſtriſſimo promontorii bonæ ſpei, in extremo

Et inter has Brunſuigia perpulchra.

JUN 11 1906

Africæ angulo meridionali amœniſſimo, Gubernatore prudentiſſimo, Domino de TVLBAGH, ſed ſine nomine, ſimul cum variis aliis, obtinuit.

Eius bulbus ſeu radix qualis ſit, et unde ad me venerit.

III. Hæc primo maximam habet radicem ſive *bulbum ſquamoſum*, capitis infantis fere magnitudine, (vid. icon eius Tab. I. II. et III. litt. A A.) qui in mediocri teſta, qualibus pro caryophyllis hortenſibus maioribus vulgo uti ſolemus, mox poſt iter aliquot menſium, ex celebri illo Africæ promontorio, unde quamplurimæ novæ eæque pulcherrimæ plantæ per mare iam in Europam pervenerunt, ad me huc per Hollandiam *Helmſtadium*, in boreali Germaniæ parte, ſub gradu latitudinis 53. ſitum, adlata, et hic plantata eſt, ita ut dimidia eius pars, eaque ſuperior, ultra terram eminuerit.

Quomodo primis annis hic ſe geſſerit.

IV. Eodem autem adhuc anno 1748. Septembri menſe, ut multæ huius promontorii olim incolæ plantæ facere ſolent, (*a*) *folia duo*, eaque prælonga et ampla, protruſerat, linguæformia, Tab. III. BC. BD. pedem circiter longa, et duos pollices vel tres lata, horizontaliter utrinque unum protenſum, apice obtuſo ſubrotundo, quæ per totam hyemem ſubſequentem in hybernaculo Carolino Academiæ noſtræ egregio durarunt ac læte viguerunt. Vere autem 1749. folia hæc rurſus exareſcebant et bulbum nudum, ſicut primum ex Africa venerat, iterum reliquerunt. Sed autumno huius anni 1749. *quatuor nova*, *utrinque duo*, ſicuti præcedentia, pulchre redibant, ſed ſine flore, quæ iterum per hyemem viridia in hybernaculo collocata durabant; at vere 1750. rurſus exareſcebant.

Anno tertio florem ingentem protulit compoſitum eumque perpulchrum.

V. Circa finem autem menſis Septembris anni eiusdem 1750. primo ex parte ſuprema et media bulbi *vaginam* ſive *involucrum florum* peculiare, quod Tab. I. Fig. 3. A B C D. et mox poſtea *Scapum* ſive caulem ſine foliis bulbus ille Fig. AA. protrudebat palmarem, Tab. I. et II. BC. hinc convexum vid. Tab. I. Fig. 3. E. inde planum, D. latitudine quaſi pollicis, vid. Tab. II. litt. B C. vel ex fig. 2. aa. partem caulis convexam, bb. planam lateribus tenuibus, utrinque obtuſis, cc. in cuius ſcapi apice *vagina* ſive *involucrum univerſale* ſe oſtendebat, ex duobus foliolis ſive *valvis* ſubovatis concavis, extus vireſcentibus, cum levi rubedine mixta, eiusdem ferę conformationis ac illius ſcapi, quem doctiſſimus FERRARIVS in eleganti ſuo libro de Florum cultura, edit. Amſtel. pag. 31. (*b*) delineavit, vid. Tab. I. Fig. 3. A B C D. quæ longitudine *duos pollices*, latitudine *pollicem unum cum dimidio* æquabant, quibus duabus valvis in parte ſuperiori E. in *forma oris piſcis*, vel *ſerpentis*, dehiſcentibus, ſenſimque horizontaliter utrinque ad ſcapi ſeu caulis faciem planam et convexam D E. expanſis, clauſi flores (ſive *bracteæ*) pallide ac ſuave rubentes, et acuminati, dum clauſi adhuc erant, quamplurimi, Fig. 3. F F F. ſeſe oſtendebant, quibusdam longioribus, quibusdam adhuc brevioribus ac minoribus inter mixtis, qui vero medio *Octobris huius anni* (*c*) et quidem bono omine, *die natali Academiæ noſtræ*, qui decimus quintus eſt huius menſis, florere cœpit, poſtquam pedunculi eorum et flores, his inſidentes, ſenſim longiores facti erant, ſe ex apice ſcapi, tanquam ex centro, (vid. Tab. I. et II. litt. K.) ut radii quarundam plantarum *umbelliferarum*, ac nominatim *Angelicæ*, floribus ſphæricis, in omnem dimenſionem expandebant, attamen non ita recti et æquales cylindrici erant, ut prædictæ plantæ Angelicæ umbellæ radii eſſe ſolent, ſed quidam eorum quodammodo circumflexi Græcorum, ⌣ HHHH. inæqualis craſſitudinis, ita fere, ut magna candelabra illa brachiata, quæ in multis templis aut in magnis Magnatum palatiorum cameris ſuſpendi ſolent, floribus multum ſurſum reflexis, et ad figuram

(*a*) Ita enim *Leonurus*, ex Capite bonæ ſpei quoque oriundus, itemque *Hyacinthus tuberoſus* africanus fl. cœruleo umbellat. Breyn. Prodr. Tab. X. *Alaternoides* Commel. aliæque plures, circa hoc tempus ſpecioſiſſimos etiam ſuos flores proferunt, quo Europææ perire ſolent.

(*b*) Erat mihi quondam etiam elegans editio Romana, eaque prima A. 1633. evulgata, quam vero vel fato vel furto amiſi.

(*c*) Plantam illam bulboſam, quam *Ferrarius* nomine *Narciſſi indici*, *flore liliaceo ſphærico* l. c. deſcripſit, et quæ a quibusdam pro noſtra reputatur, ſemper initio Septembris florere ſcribit, et in fine Septembris rurſus perire; verum noſtra medio Octobri flores demum produxit, eosque ad finem fere Novembris retinuit.

ram fiſtularum illarum, per quas fumum tabaci multi fugere ſolent IIII, ſed aliis, iisque pluribus, minus inflexis.

VI. *Pedunculi* horum florum, qui *virides* (*d*) et longi erant, partim tres pollices, partim tres cum dimidio, ac pars ſummo ſcapi proxima Fig. I. K ad duos pollices verſus florem teres erat, craſſitudine calami ſtraminei circa medium, vel lineæ mathematicæ, eaque horizontaliter fere ſive ad angulum rectum cum levi inflexione exporrecta. Sequebatur poſtea, pergendo verſus florem, *pars triangularis*, longitudine primo trium ad quatuor linearum, viridis quoque, quæ capſulam ſeminalem futuram ſive rudimentum aut *germen* huius indicabat, anguſtius iuxta modo deſcriptum pedunculum, cuius pars eſt continua, et qui ibidem in *capſulam* ſeminalem ſive *fructum* horum florum abit; ſed verſus florem ſenſim amplior fit, ut ex icone inde facta Tab. I et II LL conſpici poteſt, deſinitque poſt trium linearum longitudinem, inciſura ſive ſulco, quaſi circulari, qua pedunculus et capſula virides a flore rubente articulo quaſi ſeparantur ac diſtinguuntur, et ſic flos huic capſulæ ſive fructui inſidet. *Qui per omnes ſuas partes nunc deſcribitur.*

VII. FLOS ſive *flosculus* potius maioris qui adhæret in loco ſive ſulco illius inciſionis, quaſi per articulum cum capſulæ rudimento, *perianthio* ſive *calyce* proprio caret, adeoque *flos*, ut dici ſolet, nudus eſt; dum *folia* illa ampla ſive *valvæ* vaginæ Tab. I. fig. I. F G. ſupra deſcriptæ *perianthium* ſive *calycem* aut *involucrum* omnibus floribus *commune* atque ſic *univerſale* conſtituunt; flosculi vero perianthio peculiari deſtituuntur. *Flosculi quales fuerint.*

VIII. Die XVII Octobris *ultra triginta flores* iam conſpici et numerari potuerunt, partim *aperti*, MMM, nimirum decem in ambitu umbellæ ſive *Sphæræ* huius floris univerſalis poſiti, (nam *flos univerſalis* ſive *totus* ex pluribus floribus minoribus, quos *flosculos* multi vocare ſolent, compoſitus eſt) ceteri vero tunc adhuc *clauſi* erant NNN. Non aperti ſive clauſi *pyramidem* quaſi repræſentabant, et recti, longitudine pollicem et nonnulli pollicem unum cum dimidio, attamen *aperti* adhuc *maiores* fiebant, et ora ſive limbi ſurſum, quaſi ad cœlum tollere vellent vultus, aliquo modo reflectebantur, et ſic prope baſin, ubi cum rudimento capſulæ cohærebant, lit. III, ſurſum incurvabantur, *ad modum capitis fiſtulæ*, qua fumum herbæ tabaci fugere ſolent, ut ſupra iam dixi, atque a limbo ſive parte ſumma, ad fundum usque *in ſex lacinias* anguſtas, apice acuminatas, diviſi erant, ſicut id in plerisque floribus apertis MM; melius vero in Tab. I Fig. 4. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. et fig. 7. conſpici poſſunt. *Quomodo hi minores ſenſim prodierint et quales fuerint.*

IX. *Laciniæ* hæ florum BRVNSVIGIAE etiam tum in longitudine ac ſitu aliquo modo inæquales erant, atque ſingulæ etiam aliquomodo recurvæ extrorſum ſive in *formam unci* reflexæ erant, eaque lacinia, quæ interiora ſive ſcapum reſpiciebat, et apici caulis proxima, o, o, o, o, *ceteris paullo longior* ac latior erat; huic autem oppoſita lacinia e contrario reliquarum *breviſſima* ſive *minima* et *anguſtiſſima*, P, ſicut in figura 4, ubi flos unus expanſus repræſentatur, n. 1. ad 6, atque laciniæ quatuor mediæ 2, 3, 4, 5 mediæ inter prædictas erant longitudinis, ſic tamen, ut duæ, quæ primæ ſive maximæ viciniores, 2 et 3. hac paullo minores, et duæ, quæ minimæ viciniores, 4 et 5, præcedentibus rurſus paullo minores, atque ſic tres interiores ſeu ſcapo propinquiores in Fig. 4 laciniæ 1. 2 et 3 fuerint maiores ceteris tribus exterioribus, 4, 5, 6, ſenſim et per gradus quaſi minoribus: quæ tamen ſimul, ſi in limbi os ſive fauces inſpicere volumus, *ſtellam* aliquo modo repræſentarunt, radiis inæqualibus, ſicut ex Fig. 4 hoc optime cognoſci, in ceteris vero floribus minus poteſt. Vnicus inter hos decem flores, primum apertos, *in ſeptem lacinias* erat diviſus, et unicus pedunculorum floris erat, qui initio duos ſuſtinere videbatur eiusmodi deſcriptos flores, eodem fere modo, ut in *Chamæceraſo Tournefortii* duo flores uni pedunculo ad angulum acutum inſidere ſolent; attamen die Octobris viceſimo hic pedunculus ſponte in duos diſſiliebat, et ſingulus *Monopetali erant, et in ſex lacinias diviſi.*

(*d*) *Weinmannus* et alii hos pedunculos in *Narciſſo* illo indico *coloratos* et ſpeciatim *rubentes* deſcribunt ac delineant; in noſtra autem planta *virides* fuerunt.

gulus poſtea ſingulum florem ſuſtinebat, ac nutriebat, ſicuti ceteri omnes. In Fig. ſeptima laciniam maximam ſeorſim exhibere volui, ubi litt. a baſin ſive inferiorem partem indicat, b ſuperiorem ſive apicem, c vero mediam, et quidem altera interiorem, altera exteriorem, ut ſic eius naturalis et longitudo et latitudo conſpici queat, quæ multum a *Ferrarii* figuris latitudine eſt diverſa.

De colore et odore ipſorum.

X. *Color horum florum* eſt grate *rubellus*, pallidus tamen et ad *lateritium* aliquo modo accedens, ſicuti ex iconibus eorum in Tabb. I. et II. ad naturam pictis, optime videri poteſt; cui colori tamen ſtriæ albicantes ac leviter flavescentes intermixtæ ſunt, ſicuti icones eorum quoque docent. FERRARIVS autem de ſuo *Narciſſo indico* ſcribit p. 51. quod flores eius rubro convolutoque montium lilio (quo nomine hic ſcriptor et *Iacobus Cornutus* lib. de Plant. Canad. p. 159 *Martagon* intelligunt) æquales, nec abſimiles quippe *phœniceo rubore* colorati fuerint; qua in re vero BRVNSVIGIA noſtra ab hoc differebat. *Odorem* vero nullum notabilem in iis percipere potui: id quod cum *Tulipis*, *Anemonis*, *Ranunculaſphodelis*, aliisque nonnullis elegantioribus floribus commune obtinent, ut, quod faciei elegantia pulchri habent, odoris defectu ipſis a Conditore detractum ſit.

Quomodo pedunculis iuncti ſint.

XI. Præterea *flos* ſive *bractea* inſidet, ut dixi, quaſi per articulationem rudimento capſulæ ſive fructus, qui quaſi *ovarium* eſt, ſive ut rectius dicam, *uterus*; quia in hac parte ſemina, tanquam fœtus, concipiuntur et perficiuntur, ibique anguſto principio incipit, quod initio ſive directe horizontaliter, ut pedunculus, adhuc eſt exporrectus, ſed flores omnes brevi ſurſum ita incurvantur, ut ora ſive partes ſuperiores ſurſum, et cœlum una cum *ſtaminibus* et *piſtillo* intueantur, dum multi alii flores in aliis multis plantis terram ſpectabant; pauciſſimi tamen horum florum non incurvabantur, ſed *directe ſurſum ſpectabant*, qui in ſumma parte iconum Tab. I et II conſpiciuntur. *Quilibet flos in ſex lacinias* ſive *ſegmenta* ad baſin usque diviſus erat, laciniis ſingulis circa apicem extrorſum, ut antea iam monui, ad modum laciniarum *Hyacinthoidis* noſtri reflexis; quæ vero laciniæ, licet ad baſin usque diviſæ eſſent, tamen circa eam cohærebant, atque ſic *unum fruſtum* ſive unum *petalum*, ut Botanici loquuntur, conſtituebant, ita ut flos revera ſit *monopetalus*, hoc eſt, ex uno fruſto conſtet, atque ſimul etiam *hermaphroditicus*, hoc eſt, partes floris *masculinas* et *femininas*, ſicuti in plerisque etiam aliis eſt plantis, contineat ac habeat.

Qualia habuerit ſtamina.

XII. *Stamina* (quæ *partes genitales plantarum viriles* conſtituunt) aderant ſex, e fundo florum prodeuntia, (ſicut in plerisque floribus bulboſis aliis, et ut Tab. I et II videri poteſt, qqq; ſpeciatim vero in fig. 4 et 5 Tab. I. quam optime, ad modum floris ſurſum quoque, una cum piſtillo, verſus ſcapum ſive caulem incurvata, in aliis autem alia ratione diſpoſita erant; neque æqualis fuerunt longitudinis, quemadmodum etiam laciniæ erant: ſed eorum duo ſuper floris limbum parum eminebant, duo eiusdem cum limbo erant altitudinis, duo vero laciniis florum breviores, prout ex Tab. I. Fig. 4 et 5, a b c., intelligi poteſt. *Filamenta ſtaminum* erant *ſetacea* et *rubra*, ut flos ipſe, ſicut Fig. 4 et 5 indicatur. *Antheræ* vero ſive *capitula ſtaminum* qqq *ovatæ* fuerunt, et initio in apice *bifidæ*, atque ex flavo *nigricantes* ſeu *fuſcæ*, poſtea vero albicantes et flaveſcentes.

Quale piſtillum.

XIII. *Piſtillum* quoque (quod *pars genitalis* in plantis *feminina* eſt) ſicuti ſtaminum filamenta, *rubrum* erat, ſed paullo craſſius ſtaminibus, et cum ſtaminibus longiſſimis longitudine plerumque par, vel et in quibusdam ac ſpeciatim floribus adultioribus ea parum ſuperabat, atque ut ſtamina quoque verſus ſcapi ſummum Tab. I et II KK. incurvabatur, ac verſus laciniam floris maximam et intimam utplurimum inclinabat. *Stigma piſtilli*, quod *apex* eius eſt, Fig. 5 et Fig. 6, b erat obtuſum ac ſimplex, *foraminulum* ſive *punctum* quaſi in medio oſtendebat, quod *os quaſi vaginæ* ac ductus ad uterum eſt, quæ vim prolificam ſeminis masculi ad ovarium ſive uterum ducit. *Stylus piſtilli* (quæ pars inter ſtigma et baſin eſt) teres ſive cylindricus erat, atque in *germen* ſive fructus rudimentum fig. 5. e. inferiorem piſtilli partem, ſicut et in fig. 6. c. deſi-

deſinit; ſed *ovarium* ſive germen triangulare eſt infra florem, ſicut hæc omnia fig. 6, ubi piſtillum huius floris ſeorſim delineari curavi, clarius videre eſt, ubi aaa eſt *ſtylus*, b *ſtigma* et c pars piſtilli *ovario* ſive *germini* iuncta.

XIV. PERICARPIUM (ſive *capſula*, quam quidam *ovarium* appellant, ego vero *uterum* iam ſupra vocavi, quia primordia ſeminum in eo oriuntur, ibi accreſcunt, nutriuntur et perfecta fiunt, ſicuti fœtus in uteris animalium, et tandem matura, ſicuti fœtus animalium in partu, excluduntur) initio *triangulare* eſt, ut antea iam dixi, ac *viride*, amplius verſus florem, cui ampliori parti, ut Tabula I et II litt. L L L L oſtendunt, *flos* ſive *petalum* inſidet, tenuius verſus pedunculum, atque circa eum teres, eiusdemque craſſitudinis ac pedunculus, imo eius pars continua eſt. Succeſſu temporis autem paullo *amplius* fiebat, et rudimenta ſeminum in eo conſpici poterant; tandem vero floribus ſive petalis lapſis, pallide flaveſcebat atque exareſcebat. *Capſula qualis ſit.*

XV. Denique etiam, ne quid notatu dignum omittam, monendum adhuc eſt, quod ad ſinguli fere pedunculi floris exortum, ex apice ſcapi K, prodibat ſimul *peculiare foliolum lineare*, coloratum, *rubrum*, duorum fere pollicum longitudine et lineæ latitudine, quæ copioſa *nitida rubra foliola* pedunculis florum viridibus intermixta, vid. Tab. I et II litt. ssss, gratum adſpectum, quem flores hi coniunctim iam habent, adhuc augent, et paucis aliis floribus ſunt communia. An forte alii adhuc uſui, ut ſuſpicandum, inſerviant, incertum eſt; floribus vero exareſcentibus, illa quoque exareſcebant. *Foliola peculiaria nitida rubra inter florum petiolos habuit.*

XVI. Die XXII. Octobris *ſedecim flores erant aperti*, et die XXVI huius menſis flores XXII, qui ſenſim verſus ſcapi centrum K magis conſiti erant, dum priores ambitum occupabant. Die autem XXVIII. Octobris flores XXX. aperti erant, quo tempore flos totus *in pulcherrimo quaſi erat ſtatu;* attamen ſequentibus diebus inferiores, ambitum occupantes, et qui primi floruerant, primi etiam aliquo modo flacceſſere incipiebant, et ſic ſenſim una cum pedunculis magis deorſum verſus terram, ad angulum cum ſcapo acutum inflectebantur, ac tunc *ſphæræ* quaſi formam aſſumebant, atque flos a flore circa apices ſpatio duorum vel trium digitorum transverſorum circiter diſtabat. Illo tamen die pictor, qui hanc plantam florentem pridie iam viderat, pingere eam incipiebat, illamque ſic in optimo et perfectiſſimo ſtatu, pinxit, ubi maxima pars florum perfecte vigebat, et quidam iam flacceſſentes, quidam vero nondum penitus aperti, ſed clauſi adhuc erant, *capſulæque ſeminales* quædam, tanquam uteri gravidi, iam auctæ atque gravidæ quaſi apparebant. *Pulcherrimus eius florendi ſtatus qualis.*

XVII. Die I. Novembris ultimi et medium occupantes *flores*, qui ſimul et coniunctim *triginta ſex* efficiebant, etiam aperti erant; ſed primi circiter decem ſenſim magis exareſcebant. Hic vero ſimul notare volui, quod, ſicuti ſplendiſſima MVSA, quam *Pyſang* Indi appellant, anno 1745. *triginta ſex fructus* maturos in horto hoc noſtro protulerat, ita anno 1750. BRVNSVIGIA hæc noſtra *totidem* quoque *flores perfectos* conſpiciendos ſub hoc noſtro climate exhibuerit; dum *Ferrarius* in Italia, et quidem *Romæ*, ſub calido cœlo, in ſuo Narciſſo ſphærico, huic in multis ſimili, flores tantum *viginti quatuor* vel XXV; *Moriſonus* vero tantum *ſedecim* delinearunt. *Quando 36. aderant flosculi.*

XVIII. *Vascula ſeminalia* illa triangularia etiam poſt aliquot dies duo transverſim diſſecui et delineari curavi, vid. fig. 8 et 9, ut interior eorum conformatio, in tria loculamenta diviſa, examinari potuerit: ubi ablata parte flori vicina ſectione transverſa fig. 8. AA, cui ſtamina BB, ex parte iam corrupta, adhuc adhærebant, manifeſte ipſa *in tria loculamenta* in fig. 8. et 9, n. 1, 2, 3. more plerarumque aliarum plantarum bulboſarum ac liliacearum diviſa eſſe conſpiciebatur, et ſub *forma pilei triangularis*, quales geſtare nunc mos eſt, ſe exhibebant; in quibus loculamentis *ſemina*, vel potius ſeminum adhuc rudimenta ſubrotunda litt. C. ſicuti erant, et litt. D. lente vitrea aucta conſpici licuit. *Vascula ſeminalia qualia.*

XIX. Die VIII. Novembris ex inferioribus primis proximi flores ad XX usque facti erant *aridi;* ſed reliqui XVI. adhuc perfecte vigebant. Die XII ſeptem vel octo flores adhuc ſupererant florentes; Verum die XV. Novembris *omnes fere exaruerant*, præſertim, cum dies tunc nubili eſſent, aſperi ac *Quando flores ſenſim exaruerint.*

pluvioſi, et poſtea ſenſim omnes ſimguli, *uno fruſto*, id eſt laciniis in fundo omnibus cohærentibus, deciderunt. De floribus vero ſui Narciſſi indici ſcripſit FERRARIVS, *primos non periiſſe, niſi omnes ceteri floruerint.*

Fructus ad maturitatem non pervenerunt

XX. FRVCTVS plerique *ad maturitatem non perveniſſe*, ſed ſenſim quaſi contabuiſſe videbantur. Interea tamen, cum die XIX. Nov. magis exſiccatos adhuc ſemel examinarem, *aliquot ſeminum granula*, quæ matura apparebant, in eis reperiebam, ſecundum quæ etiam *figuræ ſeminum* CD ſub fig. 9 exarata ſunt, quæ tamen ſequenti vere a me ſata non prodierunt, eam fortaſſis ob rationem, quia ſatis *matura non fuerunt.*

Pedunculi florum diu adhuc ſteterunt.

XXI. Poſtquam vero *flores omnes exaruerant*, *pedunculi remanentes* in eo ſitu, ſicuti, dum flos erat in ſtatu ſuo ſphærico ac perfectiſſimo, manſerunt, pallide flavi, ſceleti quaſi floris illius ſpeciem exhibuerunt, atque ſic menſtruo circiter ſpatio periodum quoque vitæ ſuæ hic apud nos, ſicuti planta *Ferrariana* Romæ, ſed menſe Septembri, abſolvit. Initio Decembris, ne mortua pulcherrima hæc planta videatur, utrinque ex bulbo Tab. III AA, ubi ſcapus antea prodierat, tria ampliſſima et longiſſima FOLIA, vitæ adhuc in bulbo ſuperſtitis teſtes, uti Tab. III litt. BC et BD oſtendunt, prodierunt; quæ quidem primo breviſſima, ſed mox quatuor digitos ampla, atque ſenſim longiora, longitudinem trium pollicum circa medium ac notabilem craſſitudinem acquiſiverant, aliquo modo *carinata;* et in apice quaſi ovata, *lineaque rubicunda cincta atque ornata*; quorum vero extrema, ne tabula æri incidenda nimis magna et ceteris inæqualis fieret, in altero latere iconis Tab. III truncari oportuit.

An planta hæc antea recte fuerit cognita? negatur.

XXII. Splendidæ huic *plantæ*, *quam a nullo* vel *accurate deſcriptam* vel *delineatam* aut *recte* hucusque *nominatam* inveni, BRVNSVIGIAE nomen dare placuit, in honorem et memoriam ſempiternam *Sereniſſimi Ducis nunc regentis Brunsvicenſium et Luneburgenſium*, CAROLI, Domini et Heri mei longe clementiſſimi, ob ſumma in rem herbariam merita et amorem; dum non ſolum ipſe in palatio ſuo æſtivo ſplendidiſſimo et ſuaviſſimo, quod SALTZTHALVM vocatur, hortum colit fere regium, omnis generis arboribus et plantis ſpecioſis, et cum primis *Aurantiis*, *Citreis*, *Limonibus*, *Lauris*, *Myrtis*, *Coffeæ arboribus*, *Muſa*, *Ananis* aliisque rarioribus ſtirpibus, refertiſſimum; verum etiam, quod *in uſum academicum et publicum hortum medicum* in hac ſua Academia *Iulia Carolina*, quæ *Helmſtadii* ſub eius clementiſſimo regimine nunc floret, ſplendidiſſimum, cum præſtantiſſimo, quod nunc in Academiis germanicis eſt, hybernaculo, et hypocauſtis vitreis aptiſſimis ac ſpatioſis, pro plantarum rariorum omnis generis et Europæarum et exoticarum quarumcunque, aſiaticarum, africanarum et americanarum, in hyeme conſervatione, ut et pro plantarum cœli calidioris vegetatione magis promovenda, earumque floribus, fructibus ac ſeminibus facilius perficiendis et maturandis, una cum nitida et commoda domo pro hortulano, aliisque rebus neceſſariis, magnis ſumtibus exſtrui curavit, et ut hæc omnia in bono ſtatu, una cum hortulano eiusque ſervis tam conſervari, quam adhuc augeri; imo ut et nobiles eiusmodi plantæ adhuc plures et acquiri, et pro uſu publico conſervari queant, quam clementiſſime etiam atque gratioſiſſime proſpexit, ut plantæ novæ ac rariores, vel aliæ quoque ab aliis, ad delicati huius ſeculi genium haud recte, ſed imperfecte delineatæ, recens pingi et æri nitidiſſime inciſæ in *Flora Helmſtadienſi*, typis ac ſumtibus ſuis, plus quam regia liberalitate, coloribus nativis, in Dei gloriam et in utilitatem atque oblectamentum Botanophilorum per me repreſentari poſſint, quam generoſiſſime pollicitus eſt. Hinc cumtantus ſit Botanices promotor CAROLVS noſter: digniſſimus eſt, ut planta, eaque ſpecioſa, a munificentiſſimo et prudentiſſimo hoc Brunsuicenſium Duce, BRVNSVIGIAE nomen ad finem usque mundi gerat, eiusque memoria ſic per eam inter Botanicos quoque et Botanophilos, qui hanc plantam vel conſpiciunt aut nominari audiunt, vel deſcriptionem hanc meam vel legunt, vel una cum vera icone eius vident, ſancta et in honore conſervetur.

XXIII.

XXIII. Sed inter illas iam pictas plantas pro Flora Helmstadiensi primum quasi specimen esto novum hoc genus BRVNSVIGIAE iure a me constitutum, quod in *Serenissimi ac Clementissimi huius Principis memoriam*, qui studium botanicum tantopere promovere atque evehere tam diu iam studuit, sic semper inter plantas eadem atque adhuc potiori ratione conservetur, qua iam ab aliquo tempore a BORBONIO, Duce Gallico, *Blesensem hortum* superiori seculo in Gallia splendidum extruxerat et coluerat, cuique celeb. Botanicus e Scotia oriundus, *Morisonus*, quondam praefuerat, BORBONIAE nomen, *Plumerius*, egregius Botanicus Gallus, in novis suis generibus americanis dedit, quo huius Ducis memoria, quae sine hac planta forsan iam diu apud plerosque oblivione sepulta esset, in honore atque existimatione, florens quasi, hucusque conservata est. Ita et in sempiternam memoriam sereniſſimi quondam et fortissimi Sabaudiae principis, EVGENII, qui Viennae in Austria quam plurimas plantas exoticas rarissimas in horto suo splendissimo coluit, et in quo etiam primum splendidissima illa planta, *Pysang* Indis, Botanicis MVSA dicta, A. 1731 primum, quantum constat, in Europa floruit, sicuti Vir celeberr. Io. Phil. BREYNIVS in Musae suae Historia, quae in Act. Nat. Cur. Vol. VIII. App. p. 180 continetur, retulit, praeeunte *Michelio*, Botanico quondam Florentino celeb. ceteri subsequentes Botanici, plantam quandam singularem, cuius imago in novis *Michelii* generibus, tab. 108. exstat, EVGENIAM vocarunt, quae una cum BRVNSVIGIA ad finem usque mundi conservabuntur ac durabunt. Pari ratione etiam nobilis Italus, *Fabius Columna*, ab Italo Principe CAESIO, litterarum amantissimo, et qui speciatim de historia naturali in universum, cumprimis vero de plantarum historia bene meritus erat, et celebrem *Academiam*, *Lynceorum* dictam, superiori seculo hunc in finem instituerat, (*a*) plantae CAESIAE nomen in Not. ad *Rechum* pag. 873 indidit, aliamque a Principe et Cardinali BARBERINO, ob insignem illius in plantas earumque cultores favorem ac liberalitatem, *Florem Cardinalis Barberini* vocavit; quae planta et hodie adhuc ab illo Principe BARBERINO *flos Cardinalis* vulgo vocatur, ex mea vero sententia rectius simpliciter BARBERINIA appellari posset; atque a me etiam ita appellari solet. Taceo (*b*), quod iam antiquissimis temporibus a Rege *Gentio*, planta *Gentiana*, a *Lysimacho*, alia *Lysimachia*, et ab *Artemisia* Regina, planta *Artemisia* dicta sit, adeoque hic mos laudabilis merito adhuc hodie in honorem et memoriam illorum Principum et Magnatum aliorumque virorum, qui de plantis bene meriti sunt, vel adhuc merentur, conservetur; dum sine auxilio Magnatum a privatis horti splendidi et plantis raris bene instructi, una cum aedificiis ad plantas exoticas elevandas, et tam aestate quam hyeme bene conservandas necessariis, nec aedificari facile nec conservari possunt.

Hinc Brunsuigia ad imitationem aliorum mihi dicta est.

XXIV. Opus quoque adhuc esse arbitror, ut *notas characteristicas* BRVNSVIGIAE nostrae seorsim et in compendio nunc exhibeam. Antequam vero hoc fiat, *generalia quaedam de plantis bulbosis* in universum praemittere utile, imo necessarium esse duxi, ut sic tanto melius cognosci queat, ad quem ordinem et ad quodnam genus bulbosarum BRVNSVIGIA nostra pertineat et recte referenda sit.

Agitur hic de bulbosarum apta divisione.

Classis itaque plantarum *bulbosarum* in systemate meo plantarum generali p. 5 mihi dividitur in eas,

1. quae *fructus* sive *capsulas siccas*, et
2. quae *fructus humidos* sive *baccas proferunt.*

(*a*) De hoc *Fabio Columna*, Principe CAESIO, et *Lynceorum Academia* egregiam notitiam haud pridem dedit vir doctissimus *Ianus Plancus*, Italus, in *Fabii Columnae Phytobasano*, quem recens cum multis notis 1744. edidit, et simul fatetur pag. XII. se multum adiumenti pro hac notitia conscribenda ex Bibliotheca Wolffenbutelensi accepisse, atque etiam egregii illius Principis et Fautoris Eruditorum imaginem pag. XI. exhibuit.

(*b*) Immerito igitur *Linnaeus*, me iudice, nomen hoc, quod per centum et quinquaginta annos haec planta iam a magno plantarum fautore habuit, reiecit, et in *Lobeliae* mutavit: dum antiqua ac diu usitata nomina plantarum, quae nihil absoni habent, ut alias in differt. de nominum plantarum mutatione utili et noxia iam docui, ob inde metuendam confusionem non sunt mutanda.

BRVNSVIGIA noſtra, dum, ut iam dixi, fructum ſiccum fert, atque ideo *ad bacciferas* non pertinet, de his nihil amplius hic dicam; ſed eum ordinem, qui *ſiccos fructus* producit, paullo lucidius explanabo. Illæ itaque plantæ bulboſæ, quæ *fructus ſiccos* proferunt, in eodem ſyſtemate ſunt vel *floribus monopetalis*, vel *polypetalis*, iisque *monopetalis* utplurimum *ſexpartitis*, ſive in ſex ſegmenta aut lacinias diviſis: et quidem

Floribus vel *æqualibus* aut *regularibus* ſive *uniformibus*, vel
Floribus *inæqualibus*, *irregularibus* aut *difformibus* præditæ.

Brunsuigia pertinet ad monopetalas.

Noſtram BRVNSVIGIAM *non ad hexapetalas*, ſed ad *monopetalas* pertinere, inde iam probavi, quia flores eius marcescentes, ut obſervavi, *uno fruſto* decidebant, et ſex eius laciniæ omnes in baſi arcte *cohærebant*, ſecundum illud axioma botanicum *Rivinianum: quot fruſtis flos decidit, ex tot conſtat petalis;* quia quodlibet fruſtum, ut in *Tulipis*, *Liliis*, multisque aliis, petalum ſive folium floris efficit.

Et quidem irregulares.

XXV. Deinde etiam eius flores *non* ad *æquales*, *regulares* aut *uniformes* pertinere, facile quilibet cognoscet, qui flores eius primo generatim in Tab. I et II in integra planta, in diverſis lateribus exhibitos, paullo curatius conſiderabit, ac deinde etiam ſpeciatim in Tab. I fig. 4, qua oſtenditur, quo modo eius laciniæ ſex adeo inter ſe inæquales, ſive, quod idem ſignificat, irregulares et magnitudine differentes ſunt, ut paucæ ſimilem ſive æqualem habeant longitudinem. Igitur ad *uniformes* ſive *regulares* referri nequit, niſi contra ſenſus agere quis velit; adeoque ſi cum iudicio hic dicendum, quod res ſit, inter *inæquales* ſive *irregulares* merito referenda erit.

Id quod ei non in dedecus cedit.

XXVI. Hanc vero ob cauſſam hæc noſtra BRVNSVIGIA *pro minus pulchra aut ſpecioſa, quam ſi æqualis aut regularis eſſet, non eſt habenda.* Nam, ſicuti ab architectis hodie quam ingenioſiſſimis ædificia, cubicula, cameræ, ædes hortenſes, aliæque res ſimiles, ſtudio magnoque ingenio, *irregulari* et *inæquali*, neglecta quaſi omni ſymmetria, attamen ſuavi atque amœna ratione, pro principibus aliisque Magnatibus conſtruuntur, quem ædificandi modum *Gout barroque* gallice vocare ſolent, qui ſummis iſtis perſonis haud displicet, ſed potius iucundiſſimus videtur, atque ab iisdem, ſi bene ſucceſſit, valde laudatur et approbatur, manifeſto indicio, *irregulares illas ædificandi rationes* ipſis arridere, easque ſymmetricis ſæpius præferri: ita profecto *divinus florum Fabricator* ſive *Architectus*, Ens illud perfectiſſimum, potentiſſimum et ſapientiſſimum, iam diu, antequam homines de hac re vel cogitarunt, *flores* etiam *inæquales* ſive irregulares, ſuaviſſimos tamen atque pulcherrimos conſtruxit quam plurimos, qui viſum noſtrum egregie oblectant, et inter quos potiſſimum BRVNSVIGIAM, *Cannas indicas*, *Gladiolos*, itemque *Sprekeliam* (*a*) atque *Tulbaghiam* (*b*) noſtram, inprimis vero MVSAM quoque, plantarum fere ſplendiſſimam et quam maxime mirabilem, quæ etiam in hor-

(*a*) *Sprekelia* noſtra quidem iam diu a variis delineata et æri inciſa eſt, ſed a *Weinmanno* in ſuo Herbario, Tab. 652 litt. a, *Lilio-Narciſſus indicus totus ruber*, vulgo *Jacobæus* vocatus, pulcherrime per inſignem illum pictorem et chalcographum Auguſtanum, *Haidium*, qui BRVNSVIGIAM quoque hanc noſtram æri incidit et coloribus naturalibus pinxit, coloribus vivis ad naturam exhibita eſt; ſed *Lilio-Narciſſus* re vera non eſt, quia florem habet *monopetalum*, eumque inæqualem: ſicut in ſemiologia plant. uberius demonſtrabo.

(*b*) Ita ab Excell. Capitis bonæ ſpei Gubernatore Dn. TVLBAGHIO mihi ea planta vocatur, quæ primum a *Jacobo Breynio* in Prodr. tab. x delineata ac deſcripta eſt, nomine *Hyacinthi africani tuberoſi, flore cæruleo umbellato.* Prodr. 1 p. 25 Deinde paullo maiore forma in H. Amſt. II. 113, doctiſſimus vero TREWIVS poſtea in Comm. Litt. Nor. 1744 Tab. IV fig. 8 ad 13 florem eius, lacinias et ſtamina inæqualia curatius, quam antea factum erat, perveſtigavit, et quod a *Tuberoſa Magnolii* et mea, cui *Linnæus* aliique eam male, ut opinor, iunxerunt, ut dudum quoque notavi, multum differat, oſtendit p. 352. Ego vero præter hæc adhuc obſervavi, et delineari curavi, quod hæc TVLBAGHIA mea etiam peculiari *vagina* ſive involucro membranaceo, quæ ut *calyx universalis* omnes eius flores ſimul includit, et in uno latere dehiscit, inſtructa ſit, qualis nulla in *Tuberoſa*, et cuius nullus in illa planta, qui de ea ſcripſit, quantum memini, mentionem fecit; unde uberius conſtat, has duas plantas, quas *Linnæus male coniunxit*, diverſi prorſus eſſe generis. Addidi ego meæ figuræ etiam *capſulam ſeminalem* et *ſemina*, quæ hic Helmſtadii in Horto Caroliniano protulit, ſic ut ex his tanto melius cognosci queat, hanc plantam ab omnibus aliis plantis diverſam eſſe, atque peculiare genus ſic mereri, ſicuti hac ultima æſtate hoc in eodem horto ſpectatoribus rurſus demonſtravi.

horto noſtro academico cum multorum admiratione pulcherrime floruit et triginta ſex fructus maturos protulit, aliasque plures refero; a quarum inæquali, ſed admirabili, fabrica architecti forſan hodierni hanc *ingenioſam ædificandi rationem inæqualem* atque irregularem hauſerunt ac didicerunt; dum ſæpe artifices naturam imitantur; id quod præterea etiam minime eſt culpandum, quia divinæ eſt originis, atque DEVM omnipotentem et ſapientiſſimum, ſicut iam antea dixi, habet auctorem.

XXVII. Priusquam igitur hic ulterius progrediar, monendos eſſe Lectores meos duxi, Botanicos varios nec in hac ſatis, nec in aliis plantarum claſſibus *diſtinxiſſe* flores *regulares* et *irregulares*, itemque *monopetalos ſexfidos*, ſive in ſex lacinias diviſos ab *hexapetalis* re vera talibus, ſicuti iam a ſexaginta et quod excedit annis fecit ſolertiſſimus et egregius Botanicus Germanus, *Rivinus*, et eius aſſeclæ præſtantiores, *Welſchius*, *Knauthius*, *Heucherus*, *Buxbaumius*, *Hebenſtreitius*, *Ludwigius* et *Kramerus*, qui ex petalorum florum numero, eorumque vel *æquali* aut *inæquali*, ſive *regulari* et *irregulari* petalorum vel laciniarum *conformatione* ac dispoſitione, ſyſtema botanicum conſtruxerunt non prorſus contemnendum, et quidem, *quod ad numerum* attinet, antea laudato axiomati ſive regulæ ſuperſtructum, *quot fruſtis flos decidit*, ex *tot etiam eum conſtare petalis*; atque ſic, ut exempla notiſſima quædam adducam, quia *Lilia*, *Tulipæ*, *Corona imperialis* aliique eiusmodi flores ſex petalis ſive fruſtis, ut quilibet fere etiam ex vulgo novit, decidunt, *pro hexapetalis* etiam declarati et habiti ſunt; qui vero uno, duobus, tribus, quatuor, quinque, ſex vel pluribus fruſtis ſive foliis decidunt, vel in tot folia, (quæ in floribus, græco vocabulo *petala* a Botanicis hodie omnibus appellari ſolent) reſolvuntur, græcis vocabulis, quia Latini æquipollentia non habent, *monopetali*, *dipetali*, *tripetali*, *tetrapetali*, *pentapetali*, *hexapetali* et *polypetali* vocari ſolent.

In diviſione harum plantarum Botanici non accurati fuerunt.

XXVIII. Recentiores vero varii *regulam illam* ſive axioma illud egregium *neglexerunt*, et non ſolum ad *lapſum illum petalorum non ſatis attenderunt*, verum potius, ubi manifeſte etiam lacinias multorum florum *connatas* conſpiciunt, et *connatas* eſſe ipſi fatentur, plures eiusmodi flores pro *pentapetalis* vel *hexapetalis*, et ſic porro declararunt, qui *re vera ſunt monopetali*, quinquifidi, vel ſexfidi, ſicut illud exemplo *plantarum malvacearum*, ex monopetalis quinquifidis aperte conſtantium, perſpici poteſt, quas *Linnæus* aliique nonnulli ex recentioribus contra ſenſuum teſtimonium *pentapetalas* vocant, quæ *re vera monopetalæ*, in lacinias quinque diviſæ ſunt, atque ipſe *Linnæus*, ubi de *malvis* et *malvaceis* agit, aperte ſcribit, *earum petala in baſi connata*, hoc eſt, in *unum fruſtum coalita*, et ſic monopetalas *eſſe*. *Ex bulboſarum* vero claſſe pro *hexapetalis* nonnulli, præſertim ex antiquioribus, habent *croci* et *colchici flores*, qui tamen manifeſtiſſime flores habent *tubuloſos*, *ſexfidos* ſive *infundibuliformes*, parte ſuperiore ſive limbo in ſex lacinias diviſo, inferiore vero ad tubi initium manifeſte connatas, et ſic in *ſex tantum lacinias*, non *petala*, aut diſtincta folia diviſos, quibus tamen ſex folia, ſed male, adſcripſerunt; id quod etiam cum *Narciſſis* quidam fecerunt, et ſpeciatim LINNÆVS in Generibus plant. licet *Raius*, *Tournefortius*, *Boerhavius*, aliique pro monopetalis, propter coalitum laciniarum petala mentientium, habuerint: nam hic ipſe coalitus petalorum ſeu potius laciniarum eſt, quod RIVINVM et plerosque alios Botanicos determinavit, *monopetalos appellare eos flores*, quorum laciniæ duæ, tres, quatuor, quinque, ſex et plures in baſi coalitæ obſervantur, et coalitus ille plurium laciniarum in unum fruſtum *florem monopetalum* recte facit, atque hinc etiam fit, ut uno fruſto, tanquam partes unitæ et in unum fruſtum connatæ cadant ſive contabeſcant. Imo hanc ſententiam corroborare etiam licet ex ipſo LINNÆO, qui eidem aliis variis in locis contrarius eſt, et qui, ubi de *Trientali* (quæ alias, ob floris figuram ad *Alſines* florem quodammodo accedentem, *Alſinanthemum* vocatur) in Gen. plantar. agit, de flore eius, qui obiter intuentibus pro heptapetalo habetur, ſcribit: huius flos ſive *corolla eſt plana*, *monopetala*, *ſeptempartita*, *baſi leviſſime cohærens*. Si itaque hic ex laciniarum

Monopetalos ſæpe pro polypetalis male habuerunt.

in basi cohæsione, eaque tantum, ut ipse dicit, *levissima*, florem hunc heptapetaloidem ostendit, re vera esse *monopetalum*, etiam de aliis ita in basi cohærentibus, ut *Narcissis*, *Lirionarcisis*, *Malvis*, aliisque similibus, iudicare debet, quia alias sibi non constaret.

Nec regulares satis ab irregularibus distinxerunt.

XXIX. Ita etiam minus, quam par est, distinguunt nonnulli *flores æquales* sive *regulares* ab *inæqualibus* et *irregularibus;* ex quo tamen fundamento varia plantarum et genera et species a plerisque Botanicis a se invicem distincta sunt, et adhuc melius a se invicem seperari ac distingui possunt, ut mox ostendemus. Imo RIVINUS, insignis Botanicus Germanus, integras peculiares classes ex *regularibus* et *irregularibus* sive *æqualibus* et *inæqualibus*, *uniformibus* et *difformibus* haud temere constituit; in quo ultimo, si levis tantum adest inæqualitas, ipsum non omnino sequor, attamen in illis, ubi *magna et manifestissima adest florum inæqualitas*, nudis oculis facile distinguenda, *æquales a valde inæqualibus separo*, et *in distincta genera* melioris distinctionis caussa divido, et sic etiam *monopetalos* a *polypetalis*.

Ad inæquales, quam ego retulerim plantas.

XXX. Ad *inæquales* igitur bulbosas, in systemate meo generali antea nominato, merito retuli 1) *genus Gladioli*, 2) *Cannæ* sive *Cannæ indicæ* vulgo dictæ, porro 3) *Sprekeliæ*; quod genus etiam in grati animi tesseram illustri SPREKELIO sive Domino de *Sprekelsen*, ICto et illustri Reipublicæ Hamburgensi nunc a secretis, Viro in omni Historia naturali versatissimo et de re herbaria maxime merito, dedicavi, qui nostro horto olim ingentem copiam rarissimarum plantarum et arborum exoticarum, magno labore et sumtu conquisitarum, donavit, atque sic ingens Botanices et Floræ Helmstadiensis fuit promotor; quod genus ex planta illa constitui, quam olim vulgo *Narcissum indicum latifolium rubro flore* CLVSIVS in Rar. Hist. 157, IO. BAVHINUS Hist. plant. Tom. II. 606, aliique vocarunt, MORISONVS vero postea, utpote Botanicus methodicus, qui volunt, ut *similes* plantæ *coniungantur*, *dissimiles vero disiungantur*, hunc a *Narcissis* quam rectissime *separavit*, quia florem habet ab his quam maxime alienum ac dissimilem, atque *Lilio-Narcissum Iacobæum latifolium indicum saturato colore purpurascentem* in Hist. Oxon. Part. II. 366. vocavit; de qua vero alibi fusius adhuc aliquando sum acturus. Hoc nomen et genus *Lilio-Narcissi*, quod MORISONVS primus constituit, *Raius*, *Hermannus*, *Tournefortius*, *Boerhavius*, *Dillenius*, *Ludwigius*, aliique egregii Botanici methodici amplexi sunt et servarunt, idque præsertim propterea, quia *in hoc nomine* magna vis latet, hoc est, *notæ eius characteristicæ præcipuæ* continentur; utpote qualia plantarum nomina modo laudati Botanici omnes magnifecerunt, atque ex optimis reputarunt, quia *flores* habent *cum Liliis vulgaribus figura convenientes*, vid. *Tourn.* instit. Tab. 207 fig. A et BD; *Floris* vero *vaginam* et *radicem bulbosam* cum *Narcisso*, quæ nomina et ego iam dudum magnifeci, (*a*) præsertim si hybridum illud adhuc tollatur, atque pro *Lilio-Narcissi* nomine, Lirio-Narcissus usurpetur. LINNÆVS vero hoc adeo insigne et pro his plantis tam aptum nomen sine idonea, quantum ego perspicere potui, ratione mutavit sive reiecit, et generi huic nomen puellæ rusticæ Virgilianæ, Ecloga I. *Amaryllidis* scilicet, quod qualitatem et vim nominis *Morisoni* et hunc sequentium nullo modo habet, multo minus æquat, sed in vacuo tantum sono consistit, præter omnem necessitatem, imo contra suas regulas de nominibus dedit, (*b*) et hoc sub genere plantas *floribus regularibus et quam maxime irregularibus*, verbo, *valde dissimiles* coniunxit et confudit; id quod *contra prima Botanices et aliorum et sui ipsius fundamenta impingit*, quæ ipse cum aliis, et imprimis in Gener. suis plant. præfat. pag. 1 docet, *boni Botanici esse*, *plantas similes coniungere*, *dissimiles vero a se invicem separare.* Hinc dum in hoc genere, sicut in multis aliis eius generibus cognovi, quod *ipse valde dissimiles sæpe plantas* sive species coniunxerit; unde necessario confusiones magnæ in plan-

(*a*) vid Diss. mea de Nom. plant. mutatione utili et noxia p. 44.
(*b*) Ubi vult, quod nomina ab hominibus plantis non sint imponenda, *nisi vel de re herbaria sint bene meriti, vel promotores eius fuerint*, id quod vero *de Amaryllide* iure dici nequit.

plantis oriuntur, imo, quod in ſuis Gener. plantar. N. 321 in edit II ipſe confitetur, *inflexionem petalorum, ſtaminum, et piſtilli in Amaryllidis ſuo genere admodum diverſam eſſe*, ego eas plantas primo, quæ *regulares* ſive æquales habent flores liliaceos, et vaginam in latere diſſilientem, ſub genere *Lilio-Narciſſi*, ſive rectius *Lirio-Narciſſi*, ſervo, et huic generi adhuc relinquo illas plantas, quæ *levem* aliquam tantum habent vel in laciniis vel petalis vel ſtaminibus etiam *inæqualitatem*, dum ob leviſſimam differentiam genera hic et alibi multiplicare nolo.

Et ſpeciatim 1 Sprekeliam.

XXXI. Quoniam vero huic generi a LINNÆO aliisque quibusdam plantæ iunctæ ſunt, quæ non ſolum *inflexione aliqua levi petalorum vel laciniarum*, vel et ſtaminum et piſtilli, *ſed tota figura floris*, ac ſpeciatim *laciniarum* aut petalorum *magnitudine* et ſitu quam maxime inter ſe differunt, ob axioma illud fundamentale, *nimis diſſimiles a ſe invicem ſeparare, neceſſarium eſſe* duxi, ne mihi obiici poſſit, me etiam *plantas nimis diſſimiles coniungere*, id quod bonum Botanicum haud decet, melioris doctrinæ cauſſa, iuxta tritum illud: *qui bene diſtinguit, bene docet*, primo a *Lirio-narciſſi* genere SPREKELIAM, de qua iam antea §. xxx. dixi, ob nimiam, quam habet a *Tournefortio* exhibitis florum figuris, ibidem citatis, diverſitatem ac differentiam, iam dudum et nunc notis in Semiologia mea brevi, ſi Deo placet, indicandis, ſeparavi, quæ diverſitas etiam facile conſpicitur, ſi figura illarum plantarum regularium cum *Sprekelia* conferatur, cuius bonam imaginem iam dudum dedit *Merianus* in Florileg. renov. Tab. 16. poſtea *Moriſonus* in Hiſt. plant. deinde *Dillenius* in hort. Elth. et quam denique *Weinmannus* quoque in ſuo magno Herbario Tab. 652 coloribus nativis elegantiſſime, nomine *Lilio-narciſſi indici rubri*, vulgo *Iacobæi*, exhibuit: ex quibus figuris ingens huius diſſimilitudo a ceteris *Lirionarciſſis*, qui in *Tournefortii* Inſtit. in *Ferrarii* Flora p. 119 et 121, et in hort. Amſtel. P. I p. 71 et 73 exhibentur, ſatis cognosci poteſt.

2 Brunsvigiam noſtram, ob varias rationes.

XXXII. Deinde quia BRVNSVIGIA noſtra etiam aliquo modo ad *Lirionarciſſos veros* accedit, dum flores habet ſexfidos et quaſi hexapetalos, *ex vagina*, ſive involucro etiam prodeuntes, ut et radicem bulboſam, adeoque ſic ad *Lirionarniſſi genus* pertinere videtur; verum quia 1) ipſi eſt *vagina non ſimplex* et *in latere dehiſcens*, ſicuti in aliis, ad hoc genus relatis, ſpeciebus eſſe ſolet, et *Linnæus* etiam ipſis promiſcue in Gener. plantar. adſcribit, ſed *vagina bivalvis*, ſive ex *duplici valva* conſtans, ſicuti Tab. noſtra I fig. 3 conſpicitur; 2) flores non hexapetali, ſed *monopetali ſexpartiti*, iique 3) valde ac manifeſtiſſime laciniarum longitudine, latitudine et inflexione, ut et in ſtaminibus *inæquales*, et 4) qui ita inæquales ſunt, ut *rurſus a ceteris inæqualibus* multum in modo nominatis partibus differant: his præmiſſis, eas nunc ſpecialius deſcribam et, quomodo a ceteris omnibus diverſæ ſint, manifeſtabo.

Brunsvigiæ characteres.

XXXIII. PERIANTHIVM itaque ſive *calycem* habet *flos* hic *univerſalis* ſive *totalis*, ex multis minoribus *flosculis* compoſitus, *univerſalem*, *non ſimplicem* et unico latere dehiscentem; ſed *ex valvis duabus* peramplis et ſatis longis, quæ inſtar duarum valvarum utrinque dehiscunt et flosculos plurimos continent.

FLOSCVLVS horum quilibet eſt *monopetalus*, *nudus*, hoc eſt, *ſine calyce* aut perianthio peculiari ſive proprio, in ſex plerumque longas inæquales, anguſtas, lanceolatas, acuminatas et ad fundum usque diviſas lacinias varia ratione incurvatas, atque introrſum et extrorſum, prout ſupra eas iam expoſui, recurvas.

STAMINA, *filamenta* ſex inæqualia, ſetacea, ſurſum quoque in multis floribus inflexa; *Antheræ* oblongæ, initio ex flavo nigricantes, poſtea albicantes.

PISTILLVM, *ſtylus* ſetaceus, cum ſtaminibus huius floris longiſſimis, æqualis et quandoque paullo longior; *Stigma* ſimplex obtuſum; *Pericarpium* ſive *uterus* triangularis, ſub flore poſitus, qui abit in *capſulam* membranaceam, trilocularem, ſicuti in plerisque bulboſis eſſe ſolet, ut ſupra iam p. V. ſcripſi.

SEMINA, ſubrotunda aliquot, quæ vero hic non fuerunt facta matura, vid. figura Tabulæ noſtræ primæ 8 et 9.

Pertinet itaque nobilis hæc planta noſtra ad perfectas, *hermaphroditicas* dictas, *involucro* ſive *vagina in duas valvas diſſiliente*, *floribus monopetalis*, *irregularibus*, a ceteris hactenus variis in notis diverſa, et in ſingulo flosculo habet quoque partes plantarum et *masculinas* et *femininas*, atque ſic ſine concurſu alterius plantæ *fructus* et *ſemina* ſua producit et perficit.

Inquiritur an iam deſcripta ſit?

XXXIV. Vtrum hæc planta nova ſit, an iam ab aliquo tempore cognita, dubium mihi eſt; ſed utrum *iam clare*, *bene et recte delineata ac deſcripta* ante hanc noſtram deſcriptionem fuerit, nego. Veriſimile enim, imo certum viſum eſt nonnullis, Ioh. Baptiſtam FERRARIVM, Sinenſem, e Soc. Ieſu, Virum doctiſſimum, et Botanicum ſuo tempore inſignem ſupra iam laudatum, in libro ſuo, cuius inſcriptio eſt FLORA ſeu *de Florum cultura*, hanc plantam iam delineaſſe ac deſcripſiſſe pag. 129, nomine *Narciſſi indici flore liliaceo ſphærico*; præſertim cum hæc planta ſimilem prorſus *vaginam* membranaceam præ ceteris Narciſſis et Lirio-narciſſis habeat *bivalvem*, qualem hæc noſtra BRVNSVIGIA, ſicuti in modo laudato libro p. 131 ea exhibetur, et *flores etiam* aliquo modo ita fabricati, ac in caule ſive ſcapo ſummo diſpoſiti videantur.

Negatur, ob graves rationes: 1) ex floribus diverſis.

XXXV. Verum qui *Flores* hos FERRARII cum noſtris paullo curatius conferet, ſtatim magnam diverſitatem et plures in eis *deprehendet differentias*. Delineat vero eos *duplici ratione*, et primo quidem naturalibus multo *minores*, ut ſic caulem ſive ſcapum, floribus XXV ſatis magnis onuſtum, in parvo ſpatio, unica ſcilicet in pagina, libri in forma quadripartita, ſicut vulgo dicere ſolent, repræſentet; ſed ſic partes eius, naturalibus multo minores, omnes exacte videri adeoque pro noſtris ſimilibus recte haberi nequeunt; neque figura cum noſtris floribus conveniunt, ſicut facile illis patebit, qui figuram florum BRVNSVIGIÆ noſtræ cum *Ferrarii floribus* conferent. Deinceps, cum flores noſtræ plantæ BRVNSVIGIÆ omnes ſex manifeſtas lacinias habeant, easque omnes *ſatis conſpicuas*; in figura prima hac *Ferrarii* p. 129 nullus a me repertus eſt, ubi vel *ſex laciniæ* vel *ſex petala* videre potuiſſem; ſed vel *quinque tantum* vel adhuc pauciores in ea offenduntur; qua in re rurſus a noſtra BRVNSVIGIA differunt. Porro, quod uberius oſtendit, hosce *Ferrarii* flores a noſtris prorſus differre, eſt, quod ipſe *Ferrarius*, in deſcriptione ſuæ plantæ p. 126 ſui libri aperte ſcribat, *flores plantæ ſuæ folia* habuiſſe *quinque*, aut ex *foliis* vel *petalis quinis* conſtitiſſe, id quod etiam ii, qui *Ferrarii* librum non habent, ex paragrapho XL. ſequente cognoſcere poſſunt; cum noſtræ quidem plantæ flosculi, ut ſupra iam dixi, appareant ac ſi ex ſex petalis conſtent, atque etiam adhuc a multis ita haberi poſſint, tamen omnia noſtræ BRVNSVIGIÆ *in fundo in unum fruſtum ſive petalum concreta* fuerunt, et quod propterea pro *monopetalis*, ſive floribus ex unico fruſto conſtantibus, a Botanicis plerisque habeantur. Sed concedamus, ipſum, ut multi alii ſcriptores ſuperioris ſeculi fecerunt, *lacinias florum folia ſæpius appellaſſe*, atque ſic flosculis ſuis *quinque lacinias* tribuiſſe, ne ſic tamen pro noſtra BRVNSVIGIA haberi poteſt; quia noſtri flosculi omnes lacinias habuerunt *ſex*, et nullus *quinque*: unde manifeſtum eſt, ſive *quinque folia* ſive *quinque lacinias* ipſius flores habuerint, *eius plantam non fuiſſe noſtram;* quia noſtra neque quinque folia, neque quinque lacinias, *ſed* conſtanter *ſex*, in unico *ſeptem*, nullus vero *tantum quinque* habuerit.

Continuatur hæc probatio 2) ex ſtaminibus et piſtillis.

XXXVI. Præterea in figura hac prima *Ferrarii* p. 129 *in nullo Flore ſex ſtamina*, ſed *quinque tantum* numerare potui, et adhuc poſſum, et inter hæc piſtillum ſtaminibus duplo longius ſupra lacinias ſive limbum florum prominens; dum in noſtris flosculis *piſtillum vix ultra lineam unam vel alteram ſupereminuit*, et prout in figuris Tab. I noſtræ et cumprimis in fig. 5 quam manifeſtiſſime oſtenditur, quomodo intra ſex ſtamina triplicis longitudinis collocatum ſit. Loquitur quidem de *ſenis ſtaminibus* florum Narciſſi ſui indici flore ſphærico, pag. 126, imo quod et *ſeptimum* adſit, ſed ſine *apice antheræ*, pi-

piſtilli facie etiam productius et craſſius ceteris; verum in omnibus eius figuris minoribus, quæ extant pag. 129, *non ultra quinque ſtamina* in ullo flore conſpiciuntur, et ſextum piſtillo ſimile eſt, ſine anthera ſive capitulo verſatili, ut ipſe eas appellat, quibus cetera quinque inſtruuntur; hinc apparet, præter ea, quæ modo de flosculorum petalis et laciniis dixi, *hos eius flores cum noſtris quoque haud convenire*, et præſertim etiam, ſi *totam faciem horum florum cum noſtris conferas*, valde diverſam, ut mihi ſaltem videtur, eam invenies.

XXXVII. Si denique etiam *flores* duos, *quos magnitudine*, ut dicit, *naturali*, pag. 131 una cum *florum vagina* ſive involucro univerſali repræſentat, cum noſtris conferas, magnam etiam ſimilitudinem cum noſtris in illis non deprehendes. *Involucrum* quidem, fateor, *noſtro ſimile eſt*, ut iam ſupra dixi, *flores* vero eius *nullam*, ſive figuram, ſive deſcriptionem eius conſideraveris, cum noſtris ſimilitudinem habent. Nam in prima non niſi tres laciniæ in baſi cohærentes conſpiciuntur, et quidem ſic, ut duæ ſint duplo ampliores, quam ſunt in BRVNSVIGIA noſtra, tertia vero ne dimidiam partem amplitudinis ceterarum duarum habeat; cum noſtræ ſex, licet in longitudine diverſæ ſint, latitudinem tamen habuerint fere æqualem et admodum mediocrem, tresque etiam tantum *antheræ* in eodem hoc flore conſpiciantur. In altero autem priorique oppoſito, naturali magnitudine exhibito flore in eadem illa pag 131 ſex *laciniæ*, ſive, prout ipſe has vocavit, *folia* exhibentur, quorum tria valde et ad baſin usque floris revoluta ſunt, uti petala in floribus *Martagi*; quod vero in nullo noſtrorum flosculorum ita ſe habuit; ſed lacinia tantum ſæpe una, et quandoque duæ, eæque tantum aliquo modo et leviter, ita ut Tab. I et II noſtra in omnibus floribus videre eſt, incurvatæ fuerunt. In *Ferrariano* vero hoc flore *tres tantum laciniæ erectæ* ſunt, dum in noſtris pleræque ita ſeſe habuerunt. Omnes etiam hæ laciniæ duplo ampliores exhibentur, quam in BRVNSVIGIA noſtra fuerunt.

Uberius diverſitas oſtenditur.

XXXVIII. Denique *radicem* ſive *bulbum* ſuæ plantæ pag. 133 *globoſum* et læviſſimum delineat, dum BRVNSVIGIA noſtra bulbum *quaſi conicum* ſive *pyramidatum* obtinet, ex innumeris fere *amplis ſquamis*, ſicuti in Tab. noſtra I. II et III litt. AA videri poteſt, compoſitum: unde quilibet, ut opinor, differentiam harum plantarum, nimirum *Ferrarianæ* et BRVNSVIGIAE noſtræ, et quod non eædem ſint, ex tot diverſis partibus cognoſcere poterit.

3) Ex bulbo ſive radice diverſa.

XXXIX. Hic quidem *concedam*, *affinitatem* eſſe inter has duas plantas, præſertim etiam ſi una cum involucro univerſali *modum* et *tempus creſcendi ac florendi* ſimul conſideremus, quæ *Ferrarius* omnia elegantiſſima et iucundiſſima ratione in laudato ſuo libro pag. 125 deſcribit; quam *deſcriptionem* totam hic ex eo addam, quia liber hic non eſt in omnium manibus, atque eadem hæc confirmat, quæ hactenus propoſui, ut ſic quilibet ſcriptoris huius verba, in quibus nihil mutavi, ipſe examinare queat.

Affinitas conceditur, ſed quod eadem ſit, negatur.

XL. FLORIS VAGINA, inquit, *ad Calendas Septembris (a) exiſtit in lanceam cuſpidata, ternos lata digitos, quinos longa, exuberante cinnabari ſaturata (b)*. Poſt decem dies ſubnascente ſcapo in palmum exorta, *turgente* iam atque *urgente numeroſo fœtu*, *in geminas partes*, *oris anguinei modo latiſſime hiascit*, *non ut linguis triſulcis horribilis*, ſed ut floribus plurimis amabilis micet. Apparet primo conniventium *florum confertiſſima congeries*, quæ ramoſo paullatim incremento *rotundam ita rarescit in ſylvam.* SCAPUS exſurgit prope bipalmis, binos digitos latus, ex rotundo preſſior, ex viridi rubens; qua parte ſolem adſpicit coloratior ſumma capitatus. Funduntur *e capite denſioris more capillitii*, *prolixæ*, *ſuavique rubore viſendæ laciniæ: quibus internati radiata rotunditate* porriguntur. CAVLICVLI *triangulares*, *palmo longiores*, *minusculum digitum lati*, interfuſo rubore virentes, in capita extumido tuliparum trique-

Ipſa Ferrarii plantæ ſuæ deſcriptio elegans exhibetur.

Cauliculi deſcriptio in fig. 129 et 131.

(*a*) BRVNSVIGIAE noſtræ vagina menſe *Octobri* demum prodiit.
(*b*) *Involucrum* hoc in noſtra *Brunsvigia nihil coloris cinnabarini habuit*, ſed ſolum obſoleti purpurei, ſicut in Tab. I et II illud exhibuimus.

tro folliculo, ſeu præferratæ *trifidæ clavæ* ſimillima. Plerique inſtar candidi *camelino collo narciſſi cervicem deflectunt:* recto rigidoque nonnulli ſtatu circumſtant (*c*). *E ſingulorum verticibus eminent ſurſum ſpectantes* elegantiſſimi FLORES, rubro convolutoque montium lilio æquales, nec abſimiles, quippe phœniceo rubore colorati, et *foliis quinis* nativos in cirros reflexis calamiſtrati, exteriore folio cum ſtaminibus aſſurgente: quæ ſane conſpicienda STAMINA *ſic extant* (*d*). *Sena* læto colore punicea in totidem verſatiles *apices*, primum *flavos* et *grandiusculos*, deinde contractiores, ſubter ſuffusculos, ſupra exalbidos, et veluti farina conſperſos degenerant. *Septimum* ſine apice piſtilli facie productius, craſſius, *longa utrinque rimula interſecante* ſtriatum, *ſumma parte recurvum*, pariter *purpurat.* Ut uno inclyta purpureo capillo veteris *Niſi* coma (*e*) recenti flore ſuperetur, qui crocis pluribus blande rubentibus, citra discrimen amittendæ regalis gloriæ feliciter capillatur. *Omnes inter ſe flores ternis quaternisve digitis intervacantibus diſtant.* Per partes dehiscunt: *nec prior ante deflorescit, quam vernent univerſi. Senium illos non contrahit*, ſed infuscat, ac demum decutit. Menſtrua ipſius vita, et ver autumnale. September eosdem parit oriens, perimit occidens: hæc enim multorum florentium capitum hydra non calore, ſed frigore interficitur. Quamquam Lernæa vivacior, ſumptis a funere *viribus*, *quotannis renascitur: neque clavas Herculeæ ſimiles* timet, quibus, tanquam cauliculis, inſidet ac fulcitur. *A florum* interitu *triangula capita grandescunt*, *pleraque inania*, perpauca *nonnullo abortivi ſeminis rudimento foeta:* ſive quod peregrina planta noſtratis autumni frigus reformidat: ſive quod eadem apud nos nondum robuſtæ fœcunditatis eſt. *Caulis tandem*, et *inhærentes cauliculi* penitus *directi*, atque *in orbem* diradiati ſic *exarescunt;* ut *floris pulcherrimi cadaver ſidus ſit:* neque enim hoc inſolens eſt, ut *hydra* mutetur in ſidus. Nec iſti hortorum ſideri mors parcit. Præmortui floris decorum cadaver ingruentia primum frigora iterata morte corrumpunt. Neque clavæ multiplicis armatura formoſum tueri germen adverſus ævi demolientis iniuriam poteſt. *Folia circiter Octobris exitum apparent, flore non proveniente:* in eiusdem proventu ſerius, extremo ſcilicet Novembri menſe exiſtunt. Pauciora initio, *ſex tandem flori proluſere. Longitudo illis bipalmis, latitudo palmaris, dimidiati ferme digiti ſeu cultri craſſitudo, retuſa forma, læta viriditas et fusco per oras rubore circumlita*, corpus humi erraticum lateque procumbens, vita usque *ad extremum Maium ſive ad primos calores producta.*

Petalorum ſeu potius laciniarum quinque.

Vascula ſeu capſulæ ſeminales.

Docet hæc deſcriptio convenientiam et differentiam.

XLI. Atque hucusque ſe extendit *Ferrarii* Narciſſi ſui indici *flore liciaceo ſphærico deſcriptio*, ex qua uberius *colligi poteſt, quantum hic cum noſtra Brunsvigia conveniat, et quantum etiam ab ea differat*; ſic, ut multas ob cauſſas pro noſtra BRVNSVIGIA haberi nequeat, licet multa cum ipſa habeat communia: qua de differentia vero adhuc plura mox erunt dicenda. Unicum tamen adhuc ſcrupulum in hac FERRARII *deſcriptione ſui ſic dicti Narciſſi indici* excutere tentabo, qui mihi ab amico motus eſt circa numerum foliorum, quem ille ſuis floribus adſcripſit; dum in præcedenti paragrapho, ſicut in libro ipſo, aperte de *foliis quinis* ſui Narciſſi diſſerit, in cirros reflexis *exteriori folio* cum ſtaminibus aſſurgente. Hoc exterius folium *ſextum* eſſe *folium* ſuſpicatus eſt amicus hic meus: ſed ego potius exiſtimo, ipſum folium hoc unum ex modo indicatis quinque eſſe, quod exterius ſpatium occupat in ſuis floribus p. 129; primo, quia *nusquam ſex petala* ſuis floribus claris verbis tribuit, ſed *quina* tantum, atque ſolum monet, quod exterius horum cum ſtaminibus aſſurgat; alias, *ſi ſex* ei tribuere vel adſcribere voluiſſet, clarius et perſpicue magis ſcribere debuiſſet, et æque facile potuiſſet, quod *ſex folia*

(*c*) Quæ plura *ratione coloris* hic diſſerit *Ferrarius*, in noſtra planta aliter, et ſicuti picta ſunt, ſe habuerunt.

(*d*) *Sex quaſi ſtamina* in his *Ferrarii* floribus in figura conſpiciuntur, *ſed nullum piſtillum*: ſi vero longiſſimum ex his piſtillum ſit, vel pro tali ab aliquo venditetur, non niſi *quinque* adſunt *ſtamina.*

(*e*) NISUM Regem Megarenſem fuiſſe, et capillos purpureos habuiſſe Poetæ tradunt; ad quod *Ferrarius* hic, dum poetica ſcribendi ratione delectabatur, reſpexiſſe atque alluſiſſe videtur, dum *flores Narciſſi* ſui indici *ut purpureos* deſcripſit, quales vero in Brunsvigia noſtra non fuerunt.

folia haberent, ex quibus exterius cum ſtaminibus aſſurgeret, ita quilibet eum facile intelligere potuiſſet. Dum vero de ſex foliis nusquam dicit, ſed de *quinis* ſemper tantum, auctori autoptæ, qui hos flores accurate, ſicuti fuerunt, deſcribere voluit, credendum potius eſſe exiſtimo, donec ab alio autopta probetur contrarium, cumprimis quia *Moriſonus* quoque, qui hanc plantam ſe Pariſiis etiam florentem vidiſſe aſſeverat, nihil de ſex foliis huius floris loquitur, ſed tantum *de quinis petalis* (dum iam, ut Botanicus methodicus, *petali* vocabulo in floribus loco foliorum utitur) ſcribit, exteriore petalo cum ſtaminibus aſſurgente, in Hiſt. plant. oxon. tom. I p. 369. Deinde quia in toto illo magno flore, pag. *Ferrarii* 129 delineato, ne unicum florem ſex petalis vel foliis exhibuit; (id quod tamen facile fieri potuiſſet, ſi adfuiſſet) ſed in omnibus *ſolum quinque* vel pauciora pingi curavit. In tabula quidem altera de hoc flore, quem pag. 131 exhibuit, florem naturali magnitudine, ut perhibet, ſiſtit; ſed primo non ſcribit de hac, quod ex ſex foliis ſive petalis hic flos revera conſtiterit; deinde hæc folia, ut §. XXXVII iam monui, a floribus BRVNSVIGIAE petalorum vel laciniarum amplitudine, et revolutione, imo et tota figura floris, ſi Brunsvigiæ cum hoc flore conferantur, valde differunt.

XLII In Florilegio MERIANI renovato et aucto, quod Francofurti ad Moenum in mea patria a. 1641 in fol. prodiit, Tab. 18, 19 et 20 *eadem Ferrarii* planta, ſervato nomine FERRARII, *Narciſſi* ſcilicet *indici flore liliaceo ſphærico*, licet cum Narciſſis in flore nihil quicquam fere habeat ſimile, tribus tabulis, ex Ferrarii libro, ſupra laudato, depromtis, ſine ullo additamento aut mutatione exhibetur. Poſtea etiam a celeb. Botanico Britanno, MORISONO, in Hiſt. plant. Tom. I Sect. 4 Tab. 10 N. 35 eadem *Ferrarii planta* æri inciſa eſt, ſcapo et floribus eadem ratione delineatis, ſicuti in *Ferrarii* libro et *Meriani* Florilegio propoſita eſt; ſed nulla in re emendata, verum floribus adhuc minoribus et paucioribus, ſcilicet tantum *novendecim*, et *in unico tantum ſtaminibus ſex*, in ceteris autem vel *quinque* aut *quatuor* exhibitis: licet ob laciniarum brevitatem, atque ſtaminum in plerisque longitudinem, plerumque naturalem eorum numerum, ſenarium ſcilicet, ſi naturam imitari voluiſſet, diſtincte oſtendere potuiſſet. Scribit quidem pag. 369 huius libri, ſe hanc plantam, (quam *primus a Narciſſis recte ſeparavit, et Lilio-narciſſum indicum maximum ſphæricum floribus plurimis rubris liliaceis* vocavit) Pariſiis a. 1657 apud *Io. Morinum menſe Septembri florentem vidiſſe, eiusque florum adſpectum elegantiſſimum et amœniſſimum fuiſſe* aſſeverat; attamen non dicit, quod ipſum etiam delineari curaverit: ſed veriſimile eſt, ipſum figuram ſuam a *Ferrario* aut *Meriano* ſumſiſſe, quia flores eius, quos indicat, eius tabula una cum bulbo, omnino cum *Ferrarii* et *Meriani* conveniunt, ſine alia mutatione aut emendatione, quam quod pauciora plerisque ſtamina dederit, quam plerique apud *Ferrarium* habent, et de quo iam antea monuimus, quod plura quinque, *ſex nimirum*, ut ambo ſcribunt, dare ipſis et debuiſſet et potuiſſet: atque ſic ſuam figuram magis corrupit, quam emendavit. Præterea etiam floribus his non niſi *quinque lacinias*, (*quas petala* appellat) adſcripſit, ſicut FERRARIVS fecit, et ceteroquin in omnibus hunc etiam in ſua deſcriptione ſecutus eſt, ut vel nullum eius errorem omiſerit, vel correxerit, imo ſolum ſuo libro, ut erat, inſeruerit, atque etiam *Ferrarii deſcriptionem retinuerit* (*a*). Hinc apparet tam *ex floribus pentapetalis* et diverſæ a noſtris figuræ, quam ex radice, hanc plantam non eſſe BRVNSVIGIAM noſtram, ſed aliam, quæ a noſtra floribus valde differt.

Ferrarii flos quoque exhibetur a Meriano et Moriſono.

XLIII. PAVLVS AMMANNVS, Profeſſor olim Lipſienſis, in Charactere ſuo plantarum naturali, anno 1685 edito, meminit huius *Ferrarii Narciſſi indici ſphærico flore liliaceo* p. 333, eumque cum *Moriſono* appellat *Lilio-Narciſſum*

Indicatur et ab Ammanno, Botanico Lipſienſi.

(*a*) *Moriſono*, licet iam methodicus fuerit Botanicus, tamen conſuetum adhuc fuit, lacinias florum *petala* ſæpius appellare; id quod etiam fecit, ubi de *Veronicis* agit, quarum floribus quatuor petala adſcripſit, licet manifeſte ſint monopetali et in quatuor lacinias inæquales diviſi.

ſum indicum maximum ſphæricum, floribus plurimis rubris liliaceis, Hiſt. Oxonienſ. p. 368, atque idem nomen repetitur in altera huius libri, a *Nebelio*, Profeſſore olim Marburgenſi, et Botanico ſatis egregio, cum notis publicati, editione pag. 485. Ita et quidam ex recentiſſimis illam Ferrarii plantam ad *Lirio-narciſſi* vel *Amaryllidis* Lin. genus retulerunt. Sed miror, cur hi æque ac *Moriſonus* hanc plantam, quam et *Ferrarius* et *Moriſonus*, ambo ut plantam flore *pentapetalo* donatum, deſcripſerunt, *Lirio-Narciſſi* generi adſcripſerint; cum tamen *Lirio-Narciſſi* generi florem *hexapetalum* tribuerint, atque ſic ſine omni monito aut excuſatione *flores pentapetalos* et *hexapetalos ad unum genus* redegerint; licet nullus eorum ſcripſerit, quod hanc plantam *floribus hexapetalis* inſtructam unquam viderit: id quod tamen omnes vel ſaltem præcipui Botanici methodici facere prohibuerunt, atque *pentapetalos et hexapetalos tota claſſe*, vel *ſaltem ordine diſtinxerint*, ne nimis diſſimiles ſub uno genere coniungerentur. PAVL. HERMANNVS vero poſt biennium, anno ſcilicet 1687 in Horti. Lugdun. Bat. Catalogo ex Narciſſorum genere p. 444 *Ferrarii* plantas, quas *Narciſſos* appellavit, pro *Narciſſis* deſcripſit, et quos *Moriſonus* et *Ammannus Lilio-Narciſſos* appellarunt, omnes (ſine dubio, quia flores *cum Liliorum floribus* magis, quam cum Narciſſi, conveniunt) *Lilia* appellavit p. 374; et ſpeciatim *Narciſſum illum indicum flore liliaceo ſphæricum Ferrarii*, quem quidam BRVNSVIGIAM noſtram eſſe exiſtimarunt, *Lilium Africanum ſphæricum, floribus phoeniceis, bulbo rotundo*, appellat: ſed an ullus horum ipſum florentem viderit, atque flores rite examinaverit, nullus, *Moriſono* excepto, indicavit.

Ab Heſſio quoque.

XLIV. Pervolvi poſtea adhuc ſcriptores Botanicos quamplurimos; ſed apud nullum, Henrico HESSIO antiquiorem, iconem, quæ vel cum *Ferrarii* Narciſſo indico, vel *Moriſoni* Lilio-Narciſſo indico, multo minus cum BRVNSVIGIA noſtra aliquam haberet ſimilitudinem, quam in HESSII huius, hortulani quondam Germani egregii, libro vernacula ſua conſcripto, qui *Hortulanus Germanus* inſcribitur, et Lipſiæ 1710 in fol. editus eſt, reperi, et quidem in tabula eius 1 fig. 2; qui vero hoc in libro nullam de eo deſcriptionem dedit. Attamen in alio libro huius ſcriptoris germanico, cuius titulus, *Nova inſtructio pro florum cultura*, Lipſiæ quoque 1705, in 4. impreſſo, eadem ratione germanice *Narciſſum indicum flore ſphærico* deſcripſit, quo nomine *Ferrarius* primum, et deinde etiam *Moriſonus* latine ipſum deſcripſerunt, eique etiam *florem non alium, quam pentapetalum*, adſcripſit.

Weinmanni figura magis convenit, attamen quoque diverſa eſt.

XLV. WEINMANNVS poſtea in magno ſuo Herbario tab. 747 *plantam aliquam delineavit, cuius flores in figura et fabrica* cum noſtra tab. II magis, quam ceteræ omnes, quæ proſtant, *conveniunt;* verum primum *color et florum et ſcapi* a noſtris differt, ac deinde in plerisque floribus, non *niſi unum, duo vel tria ſtamina*, nullumque prorſus piſtillum in ullo flore indicavit: quapropter his in rebus valde quoque a noſtra diſcrepat. Porro *bulbum* ſive *radicem* eadem tabula exhibet a noſtra et *Ferrarii* et *Meriani* et *Moriſoni* figuris valde diverſam. Repræſentat enim bulbum *ſulcatum*, fere ut melonem; qua in re igitur tantopere a noſtra BRVNSVIGIA differt, ut pro alia merito habenda ſit planta; cum et aliæ bulboſæ plantæ tantopere in una ſpecie *radicibus*, quantum mihi conſtat, haud facile differant. *Nullam etiam* editor, licet alios Narciſſos ibi deſcripſerit, huius plantæ *deſcriptionem dedit*, ſed ſolum nomen *Ferrarii* ei ſubſcripſit, *Narciſſus* ſcilicet *indicus, flore liliaceo ſphæricus:* et ſic pro *Narciſſo illo Ferrarii* hanc plantam habet, a quo vero etiam valde diverſa eſt eius icon. Ex quibus tandem manifeſtum eſt, *Weinmanni* plantam noſtræ quidem eſſe aut videri affinem, undecunque iconem ſuam acceperit; attamen ipſam non eandem exhibuiſſe.

Quomodo hic præterea erraverit.

XLVI. Denique dum *huic plantæ* noſtris his temporibus *adhuc Narciſſi nomen dat Weinmannus*, hoc ipſo oſtendit, ſe non fuiſſe Botanicum methodicum; quia Botanici circa finem præcedentis et hoc ſeculo viventes, ut *Moriſonus*, *Ammannus*, *Raius*, *Tournefortius*, *Rivinus*, *Commelinus*, *Volcamerus*, *Boerhavius*, *Vallantius*, *Magnolius*, omnesque hos ſecuti, *flores figura ab hac diver-*

verſiſſimos, NARCISSOS vocarunt, ut videre eſt, primo in *Cluſii* Rarior. pag. 154 et ſeq. in *Swertii* tab. 21 et ſeq. in *Meriani* tab. 12 et ſeq. in *Tournef.* Inſt. tab. 185 fig. A et B; qua in re etiam plerique recentiores Botanici methodici hunc ſecuti ſunt, dum *Narciſſo*, tanquam plantæ bulboſæ admodum vulgari, *florem tribuerunt monopetalum*, in ſex lacinias diſſectum, in quarum medio ſive centro *tubus*, modo brevior, modo longior, in *campanulæ* vel *cyathi forma* ſe exhibet, in quo præcipue *character Narciſſi generis* conſiſtit, et ipſe *Weinmannus* in eodem hoc libro in tabulis vicinis multos veros Narciſſos exhibuit; ſed *qui flos his notis deſtituitur*, a Botanicis methodicis hodiernis etiam *pro Narciſſo non habetur*, nec haberi poteſt. Adeoque hæc planta, quam et *Ferrarius*, *Merianus*, *Heſſius* et *Weinmannus* pro *Narciſſo indico ſphærico* exhibuerunt et hoc nomine iconibus repræſentarunt ac deſcripſerunt, pro *Narciſſo* a nullo recentiorum Botanicorum poſt *Moriſonum* habetur, atque nomen hoc pro malo ac inepto in eiusmodi plantis declaratur. *Paulus* HERMANNVS in Catal. H. L. Bat. hos flores, ex mea ſententia, rectius *Lilia* vocavit, ut §. XLIII iam monui; quia *flores* eorum, præſertim qui regulares ſunt, cum *Liliis* longe magis conveniunt, quam cum *Narciſſis;* licet variis in rebus, et potiſſimum *flore monopetalo* et *fructu infra florem*, collocato, etiam a veris *Liliis* diverſi ſint.

Douglaſſii Lilium Sarnienſe.

XLVII. Tandem adhuc una eſt planta, quæ BRVNSVIGIAE noſtræ etiam valde affinis, atque primum a CORNVTO libr. de Plant. Canad. p. 157 nomine *Narciſſi Iaponici flore rutilo* deſcriptus ac delineatus eſt; poſtea vero a Iacobo DOVGLASSIO, Medico celeb. Londinenſi, in peculiari libro, quem *Lilium Sarnienſe*, anglice *The Guernſay-Lilly*, inſcripſit, iam anno 1725 Londini in folio anglicana lingua, prolixe et accurate deſcripta eſt. Hæc ſpecioſiſſima quoque eſt planta bulboſa, quam Lugduni Batavorum in horto academico 1707 autumno florere, una cum multis aliis Medicinæ ſtudioſis vidi, inter quos etiam tunc fuit perilluſtris et generoſiſſimus Dominus de HVGO, nunc Sacræ Regiæ Majeſtatis Britannicæ Conſiliarius aulicus et Medicus primarius in terris Regis ſui Germanicis, quæ *vaginam* ſive thecam quoque habet *bivalvem* (de qua vero *Cornutus* ſilet) ſicut BRVNSVIGIA noſtra, unde plures emergunt flores, octo nimirum, novem et decem, in forma quodammodo etiam ſphærica, ſicuti et BRVNSVIGIA noſtra et *Narciſſus indicus ſphæricus liliaceus Ferrarii*, quem tam ſæpe in hac ſcriptione nominavi, quos quidem CORNVTVS et DOVGLASSIVS *hexapetalos* quoque appellarunt, et pro talibus deſcripſerunt; Verum 1) in floribus recentibus eius, quos *Douglaſſius* Tab. ſua 1 fig. 1, 4 et 5 delineavit, manifeſte conſpici poteſt, hæc ita dicta folia ſive petala huius floris *in baſi connata eſſe*, ſicut flores in variis, imo forte plurimis *Lirio-Narciſſis*, adeoque *florem* eſſe *monopetalum*, in ſex lacinias ad baſin usque diviſum: id quod adhuc manifeſtius patet ex Tab. eius II Fig. 1, ubi plures *marcescentes flores* exhibentur, in quibus laciniæ omnes, in baſi adhuc melius cohærentes, *ſicut in malvaceis floribus* marcescentibus aut decidentibus, egregie perſpici poſſunt. Nam in veris polypetalis, ut *Roſis*, aliisque ſimilibus, ac ſpeciatim *hexapetalis* bulboſis, ut *Tulipis*, *Liliis*, *Coronis imperialibus*, *Fritillariis*, petala marcescentia ſingulariter decidunt, et ea non coalita fuiſſe manifeſte inde apparet. Sed in hac *Douglaſſii* planta cohærent, nulla eius pars ſeorſim cadit, neque in ullo eius flore petalum conſpicitur lapſum aut deficiens, niſi in Tab. eius I. Fig. 6 et 7, ubi laciniæ quædam data opera ablatæ ſunt, ut interiora florum et ſpeciatim *initium ſtaminum et piſtilli* rite oſtendere potuerit, ſicut in noſtra BRVNSVIGIA id quoque feci Tab. 1 Fig. 5. Verum *laciniis* ab hac *differt æqualibus*, regularibus et uniformibus, quæ in BRVNSVIGIA *inæquales* ſunt. 2) Convenit quoque cum BRVNSVIGIA *vagina bivalvi* (vid. *Douglaſſ.* Tab. 1 fig. 3, n. 1 et 2) ſed valvis diverſæ et inter ſe et inter BRVNSVIGIAE magnitudinis; dum valva n. 1 duplo amplior eſt, quam valva altera huic oppoſita n. 2, et multo etiam et anguſtiores et magis acuminatæ ſunt valvae, quam in BRVNSVIGIA; dum in hac obtu-

ſæ in apice, in illa vero, ut ſcalpellum phlebotomum, acuminatæ. Hæc *vagina*, in *Lirio-narciſſis*, ut *Linnæus* in Generibus ſuis plantarum editionis I et II vult, aliique quidam putant, eſt *univalvis*; ſed in multis, imo in plurimis, ut poſtea oſtendam, ſpeciebus, omnino bivalvis eſt. 3) Etiam habet *foliola* quædam pulchre colorata, petiolis florum interiecta, *ornamenta* a me ſupra vocata, vid. Tab. noſtra I fig. 1, litt. sss, licet ſint pauciora, breviora et tenuiora, quæ in ceteris *Lirio-narciſſis*, quos novi, deficiunt; hinc et peculiare genus merito conſtituere poteſt.

Imhofiæ nomen dedi.

XLVIII. Huic plantæ a DOVGLASSIO nomen dari optime potuiſſet, *Douglaſſia*, quia hic vir de hac planta optime meritus eſt; verum quia *Linnæus* iam plantæ cuidam alii in Generibus ſuis plantar. *Douglaſſiæ* nomen dedit, duæ vero plantæ, præſertim novæ, ob confuſionem evitandam idem nomen gerere nequeunt, hinc ab alio viro, de re herbaria et horto noſtro optime merito, perilluſtri ſcilicet Domino ab IMHOF, Sereniſſimo Duci noſtro CAROLO a Conſiliis ſanctioribus redituum et fodinarum hercynicarum, cuius affinis, Liber Baro ab IMHOF, Gubernator Bataviæ nuper fuit, IMHOFIAM ipſam vocabo: præſertim quia non ſolum bulbum BRVNSVIGIAE noſtræ, ſed et alias plantas rariores ex Capite bonæ ſpei horto noſtro procuravit ac dono dedit. Refertur quidem hæc planta vulgo etiam ad *Lirio-narciſſum* Moriſoni et Tournefortii, et a *Linnæanis* ad genus *Amaryllidis*, quod vero non, niſi nomine male et præter neceſſitatem mutato, ab illo differt. Verum quomodo revera differat ab his omnibus, modo diximus. DOVGLASSIVS hanc plantam quoque a *Lirio-Narciſſo* iam ſeparari et *Narciſſo-Lirium* vocari voluit, quod nomen *Moriſoni* et *Tournefortii* eſt quaſi inverſum; quia forſan exiſtimavit, plantam hanc *plura habere cum Narciſſo*, quam cum Lilio, communia, ſive ſimilia. Sed hoc nomen facile confuſionem inter duo hæc genera *Lirio-Narciſſi* et *Narciſſo-Lirii* produceret, et hinc rectius pro peculiari genere ſub diverſo nomine habetur. In mentem mihi nunc adhuc venit, ratione ſplendidæ huius plantæ, quod, cum Lugduni Batav. 1707 primum forte floruerit, doctiſſimus HOTTONVS, qui tunc ibidem Botanices Profeſſor erat, peculiari programmate, valvis Collegii academici et horti medici affixo, totam Academiam, imo omnes curioſos ad plantam hanc raram et mirabilem conſpiciendam, ſolemni modo invitaverit, cuius initium erat:

ADVOLATE DII DEAEQVE AD SPLENDIDISSIMAM ATQVE ADMIRANDAM PLANTAM, QVAE MIRACVLVM QVASI NATVRAE EST, ET CRASTINA DIE FLOREBIT, HORA DECIMA CONTEMPLANDAM etc.

Ubi etiam illo tempore plures Profeſſores, ſtudioſi quamplurimi, aliique multi ad eam conſpiciendam confluxerant; quo etiam tempore docto ſermone eius mirabilem faciem ac ſingulares dotes pro more eleganter expoſuit.

Brunſvigia non eſt Lirio-narciſſus.

XLIX. *Lilio-Narciſſi* igitur nomine primus multas plantas, *quas Narciſſos vulgo vocaverunt, ſed ob floris diverſitatem tales non erant*, et ſic una illum ſphæricum ſalutavit atque deſcripſit MORISONVS, loco antea citato, Tom. I. pag. 365; cuius itaque notas et ipſe in *floris forma*, *magis cum Lilio*, quam cum *Narciſſo* convenientes, ſed *vagina floris* ac radice magis cum Narciſſo, quam Lilio, et TOVRNEFORTIVS et RAIVS aliique dederunt, *quod ſit flos liliaceus*, *hexapetalus*, *Lilii æmulus*, cuius calyx ſeu embryo abit in fructum, Narciſſi fructus forma, ac radice bulboſa. BOERHAVIVS vero eam paullo plenius ita definivit: *Radix* nimirum bulboſa, tunicata, *flos* liliaceus, *hexapetalus*, *ex theca* (ſive *vagina*, quam *Tournefortius* deſcribere vel indicare neglexit) *emergens membranacea*, ut Narciſſus; atque plerique hactenus hunc ſecuti ſunt. LINNAEVS vero, *Lilio-narciſſi* nomine male reiecto, huic generi *Amaryllidis* nomen dedit in Gener. ſuis plant. edit. II. p. 321; ſicuti ſupra pag. XII iam monui, eique etiam *florem hexapetalum* generatim, et *vaginam* aut *thecam* (quam, neſcio cur, hic potius *ſpatham appellat*) *oblongam*, *obtuſam*, compreſſam, emarginatam, *latere plano rumpentem* ſive *dehiſcentem* et *marceſcentem* adſcripſit. LVDWIGIVS, qui in prima ſua definitionum plant. edi-

editione *Lilio-Narciſſi* nomine Moriſoniano, Tournefortiano et Boerhaviano uſus erat; in altera vero *Linnæum*, ſine ratione addita, ſecutus eſt, eumque *Amaryllidem* quoque vocavit, atque ſimilem vaginam ei etiam adſcripſit.

L. Verum præterquam quod experientia didicerim, non omnes has plantas, quæ nomine *Lilio-Narciſſi* apud *Moriſonum*, *Commelinum* in H. Amſt. T. I. pag. 71, 73 et 77, *Hermannum*, *Tournefortium*, *Merianam*, *Boerhavium*, et *Amaryllidis* apud *Linnæum* in hort. Cliffort. p. 135 *Royenum* in Prodrom Flor. Leid. *Wachendorfium* in Ind. Hort. Vltraiect. et *Trewium* in ſelectis aliisque a ſe editis plantis ſplendidioribus, aliosque occurrunt, vere *hexapetalos* eſſe, ſicuti hoc ſæpius in *Lirio-Narciſſo indico, flore ſingulari albo extus rubente*, et *Lilio-narciſſo autumnali flore luteo* Tourn. p. 321 obſervavi (*a*), cuius *flos marcidus non ſex, ſed unico fruſto decidit*, idemque iam dudum in illo olim ita dicto *Lilio-narciſſo Iacobæo* latifolio *indico rubro flore Moriſ.* hiſt. II. p. 609. et *Tourn.* Inſt. 387. notavi, quem SPREKELIAM vocavi, ob *ingentem ſuam florum inæqualitatem* ac diverſitatem a ceteris *Lirio-narciſſis*, *floribus æqualibus hexapetalis* ſeparavi, ad *monopetalos inæquales ſexfidos* retuli, ac peculiare et *novum illud genus* inde conſtitui: dum ceteris omnibus ſpeciebus, quas *Commelinus* in Hort. Amſtel. Part. I tab. 71 aliique delinearunt, ac *Linnæus*, *Royenus*, et *Wachendorfius* locis citatis recenſent, hoc unico excepto, *flores tribuunt æquales* ſive *regulares;* hinc et BRVNSVIGIA noſtra inter Lilionarciſſos, ſive rectius, quia nomen hoc *Moriſoni* hybridum, ex latino ſcilicet et græco vocabulo conſarcinatum eſt, *Lirio-Narciſſos*, quibus omnibus, quos novi, ſunt æquales ſive *regulares*, et ſecundum ſaniora principia botanica, ſecundum quæ *ſimiles*, ſed non *diſſimiles plantæ ad unum genus referi debent*, reduci recte nequit. (*b*)

Lirio-narciſſi non omnes ſunt hexapetali, ut eſſe debent.

LI. Vtiliſſimum hinc eſſe cenſeo, *genus hoc Lirio-narciſſi Moriſoni, Tournefortii* ac *Boerhavii*, ſive Amaryllidis *Linnæi*, quod mihi valde confuſum videtur, in plura *diſtincta genera*, ex *manifeſtiſſimis notis*, *a calycibus ſive vaginis ac floribus diverſis potiſſimum deſumtis*, dispescere, et primo quidem ex eo fundamento, quod quasdem eius ſpecies manifeſte *monopetalas* eſſe notaverim, quas *Moriſonus*, *Tournefortius*, *Boerhavius* et *Linnæus* omnes *hexapetalos* eſſe putarunt, atque etiam propterea *ad flores hexapetalos* retulerunt. Verum, ex mea obſervatione et ſententia, *monopetali* et *hexapetali* melioris diſtinctionis cauſſa cum Rivinianis a ſe invicem ſunt ſeparandi, atque priores ad *ordinem monopetalorum*, poſteriores vero, ad *hexapetalorum ordinem* ſunt referendi. Deinde accedit etiam hoc, quod in quibusdam Lirio-narciſſi ſpeciebus flores ſint *figuræ æqualis* ſive *regularis*, in quibusdam vero *inæqualis* ſive *irregularis*, ſicuti iam hanc differentiam in Syſtem. meo plantar. generali pag. 5 et ſupra quoque pag. x indicavi, atque in Semiologia mea plantarum adhuc uberius exponam. Præterea quædam *ſpecies flore regulari vaginam obtinent ſimplicem*, uno latere tantum dehiſcentem, quæ ſigna *Boerhavius* et *Linnæus Lirio-Narciſſo* ſive Amaryllidi tanquam notas characteriſticas adſcribunt, hinc his plantis *nomen Lirio-narciſſi*, diu iam uſitatum, relinquam, qualis inter ceteras potiſſimum eſt illa *flore albo extus rubente*, et illa autumnalis *flore luteo*, de quibus modo egi, aliæque his ſimiles. Aliæ vero *flore regulari monopetalo*, *vaginam* ſive thecam habent *utrinque* atque ſic *in duas valvas dehiſcentem*, quibus rurſus a vero *Lirio-narciſſi* et *Amaryllidis* Lin. genere differunt; et quia ſuſpicor, plures adhuc ſpecies horum generum *Moriſoni*, Horti Amſtelodamenſis, *Tournefortii*, *Linnæi* aliorumque eſſe *monopetalas regulares*, rogo omnes genuinos ac verum amantes Botanicos, quibus plures ſpecies *Lirio-narciſſi* præſto ſunt, quam humaniſſime, velint paullo curatius adhuc inquirere atque obſervare, an non adhuc plures, inter eas ſint *monopetalæ*, quæ

Lirio-narciſſi genus vulgare in plura diverſa genera diſtinguendum eſſe cenſeo.

(*a*) In *Swertii* Florilegio Tab. 28 delineatur, et *Narciſſus flor. alb. exteriori parte rubicundus* vocatur; item in *Weinmanni* Herb. tab. 652. uterque litt. b. et c.

(*b*) Hanc ob cauſſam perilluſtris HALLERVS *Viburnum* ab *Opulo*, quæ duo antiquiſſima genera *Linnæus* male coniunxerat ſive confuderat, in nuper edita ſua enumeratione plantarum Horti Goettingens. pag. 191 recte rurſus a ſe invicem, ut antea erant, ſeparavit.

pro *hexapetalis* adhuc habitæ ſunt, ſicuti *figuræ Aldini* p. 52, *Ferrarii*, *Cornuti*, *Moriſoni*, *Commelini*, *Hermanni* in Paradiſo Bat. *Tournefortii*, *Merianæ* in Metamorphoſi inſector. Surinamens. Tab. XXII, itemque *Iacobi Douglaſſii* Figuræ Tab. I et II *de Lilio Sarnienſi* exhibitæ, *Trewii* tam in plantis ſuis ſelectis tab. XIII, quæ Auguſtæ Vindelicorum *Haidii* cælo, quam quæ Norimbergæ *Seligmanni* opera ſub n. I et II prodierunt, aliæque innuere videntur, mihique ſuas obſervationes indicare, ut ſic *accuratius diſſimiles a ſimilibus diſtinguantur*, et in ordinem, genus ac locum debitum redigi queant. Hoc igitur genus ultimum, quia cum floris Lilii figura valde convenit, ſed *vagina bivalvi* a prioribus differt, a me LILIAGO appellabitur, nomine, quo alias cel. *Conr. Gesnerus* iam uſus eſt in Hiſt. Plantar. *Valer. Cordi* fol. 150, b. Illis vero ſpeciebus, quæ notas habent *Lirio-Narciſſi* et revera *hexapetalæ* ſunt, atque regularibus ſive æqualibus liliaceis floribus donatæ, ſi modo revera tales exiſtere probetur, nomen tunc aliud dari poteſt. Deinde vero etiam *monopetalæ irregulares a regularibus*, melioris doctrinæ cauſſa, ſunt diſtinguendæ, et ad *ordinem irregularium* redigendæ. Nolo autem hic *ob leves minutias*, verbi gratia, ob levem aliquam vel in laciniis aut petalis, vel ſtaminibus aut piſtillis inæqualitatem, plantas has ad irregulares referre, ſed magna et in ſenſus ſine microscopiis facile incurrens inæqualitas adſit, volo, ſicuti ex. gr. in BRVNSVIGIA et *Sprekelia* noſtra, quas ſic ad *monopetalas inæquales* retuli; quo ipſo etiam nominum prolixitas ſpecierum valde imminuitur, dum *Linnæus* et aſſeclæ eius ſingulæ ſpeciei nomini addere coacti fuerunt verba: *flore* ſive *corolla æquali* vel *corolla inæquali*, itemque vagina vel *ſpatha ſimplici*, vel *utrinque dehiscente*; quæ duo vocabula, ſi ex generis definitione vel ordine iam nota ſunt, hoc genus flores habere vel æquales vel inæquales, vel etiam vaginam aut thecam ſimplicem vel bivalvem, ſemper in ſpeciebus omitti, et ſic nomina ſpecifica *breviora*, imo ſæpe perbrevia atque etiam multo *faciliora* fieri poſſunt discentibus.

Vaginis etiam ſive ſpathis valde differunt.

LII. Præterea *Linnæus* atque *Ludwigius* vaginam ſive *ſpatham* generi Lirio-Narciſſi ſive Amaryllidis, ut ex modo prolatis eorum definitionibus patet, adſcribunt *oblongam*, *obtuſam*, *emarginatam*, *marcescentem*, et *latere plano dehiscentem.* Verum, ob hanc notam BRVNSVIGIA noſtra neque *Narciſſis*, neque *Lirio-narciſſis* adſcribi recte poteſt, quia vaginam ſive thecam ab hac modo indicata habet *longe diverſam*, *bivalvem* ſcilicet, atque deinde etiam *utroque latere hiscentem*, ſicut iam ſupra eam deſcripſi, atque ex tab. noſtræ I fig. 1 et 3 videri poteſt. Porro neque *arida* eſt aut *marcescens*, ſaltem in principio; qua triplici in re differt non ſolum a Lirio-narciſſis, verum etiam a multis aliis *generibus plantarum liliacearum* et *bulboſarum;* dum nullus ex Methodicis hactenus nominatis aut mihi cognitis genus talibus notis deſcripſit, et nulla planta ex mihi notis, flore irregulari, hac in re ipſi, ſimilis eſt, quam *Narciſſus ille ſphæricus* ſæpe nominatus FERRARII et *Lirio-narciſſus ſphæricus* MORISONI, quem quidam pro hac, ſed falſo, habent; dum ambo flores ipſi adſcribunt et appingunt *pentapetalos*, ſed BRVNSVIGIA *monopetalum* et ad baſin usque *ſexfidum* obtinet, atque ſic his ultimis notis accedit ad *Sprekeliam* noſtram; quæ vero partim vagina ſimplici, *uno tantum latere rumpente*, partim laciniis floris laciniarumque eius figura peculiari ſupra deſcripta, a BRVNSVIGIA multum differt. Sic ut eviciſſe mihi videar, *nullum ſcriptorum Botanicorum hanc noſtram* BRVNSVIGIAM, *etiam quoad partes eius præcipuas et maiores, atque ſine microscopio conſpiciendas*, recte deſcripſiſſe, *neque apto nomine a quoquam ſalutatam fuiſſe:* dum eam, ſi etiam FERRARII Narciſſus ſphæricus noſtra eſſet planta, vel ad *Narciſſum*, vel ad *Lirio-narciſſum*, vel ad *Amaryllidem* non niſi male et contra leges bonorum Methodicorum retulerunt: *ſic ut propterea meliore* atque *aptiore nomine indiguerit*, qualia vero ea ſunt, quæ a Patronis, Fautoribus et Promotoribus Botanices deſumuntur.

Quid Zinkenius de ſimili fere planta ſcripſit.

LIII. Denique etiam prætermittere hic ſilentio non poſſum, quod etiam in illuſtris ZINKENII noſtri, qui Sereniſſimo Duci noſtro a conſiliis aulæ et rerum

rerum cameralium eſt, *Lexico oeconomico*, vernacula noſtra edito, de ita dicto *Narciſſo ſphærico* ſcriptum reperi, ubi cum *Heſſio* ait: „*Narciſſum hunc* „a plerisque hortulanis *Girandole* (ſive *Girandolam*) vocari, et florem ſuum „(ſive rectius *involucrum florum cum floribus ſuis* adhuc intus contentis) an„tequam caulis conſpiciatur, expellere, et dum ſenſim magis aſſurgit, in„volucrum hoc ſe aperire, ut *os quoddam*, in quo plures flores tunc conſpi„cerentur, qui, ſi in omnem partem ſe extendunt, *Sphæram* quaſi repræ„ſentarent. In parte ſuprema caulis quoque multa, eaque ſatis longa, cres„cere *filamenta*, (ſive, ut ſupra ea vocavi *foliola rubra*, longa et anguſta „quaſi *ornamenta*) inter quæ multi *trianguli*, digiti latitudine, et 5 vel 6 „pollices longi caules virides, cum rubro mixti, excreſcunt, una cum par„vis *capitulis* inſtar vasculorum ſive capſularum ſeminalium tuliparum. Ex „his caulibus quosdam deorſum ſe reflectere, alios ſurſum ſe erigere, at„que ex eorum apicibus *flores pentapetalos* oriri, quorum petala *coccinei* eſ„ſent *coloris* (ita verto eius vocabula germanica: *carmeſin-roth*) et *apices* „*petalorum* florum extrorſum reflecti, imo et *crispari*, atque folium exter„num quoque aſſurgere, floremque ſingulum ſex habere *ſtamina* in medio, „eiusdem cum flore coloris, quæ gratum adſpectum ipſi conciliarent, ea„que in apice geſtare parva *capitula mobilia* ſive *pileolos* (*antheræ* hodie di„ctæ) quæ omnes ſenſim colorem mutarent et ex flavo fusca fierent. *Se„ptimum* vero adhuc adeſſe *filamentum* ſive ſtamen in eius floribus, quod „ceteris omnibus eſſet *longius*, quod craſſesceret, atque in parte ſuprema ſe „convolveret et purpureum capitulum conficeret. *Flores* hos ad trium di„gitorum latitudinem et quod excederet a *ſe in invicem diſtare*, ſcribit, ſen„ſimque ac pedetentim florere, et *nullum florem perire*, *niſi alter vel alius* „aperiatur. Menſe Septembri eum incipere florere, floresque eius per men„ſem fere durare.„ Hucusque celeberr. *Zinkenius*.

Narciſſum indicum Ferrarii deſcripſit.

LIV. Patet ex his, niſi omnia me fallunt, egregium et doctiſſimum hunc virum *plantam illam Ferrarii*, quam *Narciſſum indicum flore liliaceo ſphærico*, appellat, hic ſecundum *Heſſii*, in fallor, deſcriptionem exhibuiſſe, Haud enim exiſtimo, ipſum eam florere vidiſſe, quia planta eſt in Germania, imo in tota Europa, ut mox §. LV probabo, nimis rara. Sequitur itaque potiſſimum deſcriptionem *Ferrarii* vel *Moriſoni*, aut *Heſſii*, et hinc *flosculos eius* plantæ quoque *pentapetalos* eſſe perhibet; licet nulla alia a ceteris Botanicis, quantum recordor, deſcripta ſit planta bulboſa vel liliacea, neque ulla unquam a me viſa, *quæ quinque* tantum *petala habeat* vel *pentapetala* ſit, ſed omnes, mihi notæ, ſunt vel *monopetalæ* vel *dipetalæ* vel *tripetalæ* vel *hexapetalæ; tetrapetalæ* vero et *pentapetalæ* bulboſæ Botanicis adhuc ignotæ fuerunt, adeoque planta, quam illuſtr. *Zinckenius* deſcripſit, dum *pentapetala* deſcribitur, profecto non eſt mea BRVNSVIGIA, ſicut nonnulli mihi perſuadere, vel ſaltem ſuſpicari voluerunt.

Liliaceæ pentapetalæ vix dantur.

LV. Præterea, quod Vir hic doctiſſimus ſcribat, hanc plantam a *plerisque hortulanis Girandolam vocari*, de alia, quam de noſtra BRVNSVIGIA, vel etiam de Ferrariano Narciſſo indico intelligendum erit; nam ambæ hæ plantæ ubique in Europa, et ſpeciatim etiam in Germania, tam raræ ſunt, ut plerisque hortulanis, imo plerisque Botanicis ſint ignotæ ac nunquam viſæ, atque vix unus forte aut alter hodie ſit Botanicus vel hortulanus Germanus, qui alterutram unquam viderit, niſi forſan nuper apud nos. Ego enim ad ſexageſimum ſeptimum ætatis meæ annum perveneram, et per *quinquaginta annos continuos ſemper Botanicam colui*, plantasque ac flores rariores amavi, quæſivi, atque curioſe etiam ubique in itineribus meis per totam fere Germaniam, Belgium quondam et Angliam, in quibus regionibus per quinque annos commoratus ſum, perveſtigavi, et quidem neque in Horto Amſtelodamenſi, neque Lugduno-Batavo, ne ſemel quidem vel *Ferrarii Narciſſum ſphæricum* vel BRVNSVIGIAM a me dictam vidi, aut videre potui, antequam tandem hic floruit: unde credendum, *hanc plantam profecto rariſſimam eſſe in Europa*, atque ſic hortulanis noſtris, antequam hic BRVNS-

Raviſſima eſt in Europa et Ferrarii et noſtra planta.

VIGIAM noſtram florentem quidam viderunt, tam ignotam, imo magis ignotam, quam corvum album fuiſſe.

Hæc raritas uberius probatur ex Hollandia.

LVI. Hanc raritatem harum plantarum uberius inde probo, quod, cum IOH. COMMELINVS horti Amſtelodamenſis olim præfectus, in horto hoc ſplendido varios elegantes *Lirio-narciſſos* MORISONI aliosque nitidiſſime delineari curaverit, eosque ſimul deſcripſerit, eo in loco, ubi in Tom. I. qui an. 1697 Amſtel. prodiit, pag. 71 unum ex pulcherrimis, (quod illi potiſſimum, qui hanc vel florentem vel coloribus naturalibus pictum viderunt, agnoſcent et fatebuntur) depinxit, qui ipſi *Lilio-Narciſſus africanus platicaulis, humilis, flore purpurascente odorato* appellatur, ſequentia ſubiungit: *Quem hic recenſemus Lilio-narciſſum cum Narciſſo ſphærico indico flore liliaceo Ferrarii vulgo confunditur, quamvis ab eo prorſus alienus;* qua vero in re ab hoc ſit alienus, non dicit: credo, quia eum non viderat. Si enim hunc *Ferrarianum* habuiſſet, aut in Hollandia illo tempore fuiſſet, profecto eum quoque pingi ac ſculpi curaſſet, atque etiam deſcripſiſſet, ut ſic huius ab illo differentiam oſtendere et illos, qui has duas plantas confundunt, docere potuiſſet, quomodo differant, atque ſic ex confuſione et errore, in quibus Botanicos verſari circa has duas plantas credidit, liberare, ac verum ſic ipſos docere potuiſſet, præſertim dum ſcripſit, *Ferrarianum ab hoc ſuo prorſus alienum eſſe;* imo etiam, dum ſine dubio haud ignoravit, quod *nullus Narciſſus* vel *Lirio-narciſſus* notus fuerit, qui *flores pentapetalos habuerit*, profecto ut veram iconem *Ferrariani*, qui propter hanc cauſſam, ut mihi ſaltem videtur, valde ſuſpectus atque *falſo et male* ab eo in hac et aliis in rebus *deſcriptus* eſt, ut facile inde perſpicere vel divinare potuiſſet, eruditis et florum rariorum amatoribus exhiberet. Verum, dum neque ille hoc fecit, neque alter *Commelinus*, *Caſparus* ſcilicet, huius in Horto Amſtelodamenſi ſucceſſor, et meus quoque in hoc horto olim in re herbaria Præceptor, qui certe, dum plures rariores eiusdem horti plantas in parte altera, quæ 1701. prodiit, exhibuit, vel in hoc opere, vel in aliis ſcriptis botanicis, quæ poſtea adhuc edidit, veram vel correctam iconem edere potuiſſet, ſi eum habuiſſet, aut in horto Amſtelodamenſi illis temporibus floruiſſet, ſine dubio edidiſſet; ſuſpicandum, imo fere certo credendum, ipſum non adfuiſſe, vel ſaltem non floruiſſe, quia eam non demonſtravit, atque ſic in ipſa Hollandia plantam rariſſimam omni tempore fuiſſe, et forſan adhucdum eſſe, ut ex ſequentibus uberius conſtabit. *Ioannes* quidem COMMELINVS in Catalogo Horti Amſtelodamenſis pag. 201 mentionem fecit *Lilio-Narciſſi indici maximi ſphærici liliacei*, floribus plurimis rubris Moriſoni, et Narciſſi indici flore liliaceo ſphærici Ferrarii; ſed num ibi floruerit, et an ipſum florentem viderit, ob rationes prædictas valde dubito.

Et pluribus confirmatur ex eadem regione.

LVII. Nec alii, qui plantarum rariorum icones in Hollandia ediderunt, ut *Swertius*, *Paulus Hermannus*, *Muntingius* et *Boerhavius*, eam delineatam vel deſcriptam exhibuerunt; cuius tamen profecto tanquam plantæ adeo raræ, ſi ipſam habuiſſent aut vidiſſent, iconem veram edidiſſent. Imo nec *Boerhavius* in Indice ſuo plantar. 1720, neque *Linnæus* in Hort. Cliff. aut Vpſalienſi ullam eius mentionem fecerunt, multo minus delinearunt. A ROYENO quidem in Prodr. Flor. Leidenſis p. 37 planta quædam liliacea appellatur *Amaryllis ſpatha multiflora, foliis ovato-oblongis, obtuſis*, addito nomine *Moriſoni* ſupra indicato, ad oſtendendum, quod hæc ſit Ferrarii ille Narciſſus indicus. Sed an ibidem re ipſa nunc adſit aut floruerit, addubito, præſertim quia hic non addidit, utrum *hæc* ſpecies florem habeat *æqualem* an *inæqualem*; id quod in ceteris fecit omnibus, unica illa adhuc excepta ſub N. 8, p. 37, cui *folia ciliata* tribuit, et forte quoque eam florentem non vidit, ut addere potuiſſet, æqualem an inæqualem habeat florem. Hanc vero rariſſimam plantam hortus noſter etiam ex perilluſtris IMHOFII liberalitate fovet, ſed hucusque et heic non floruit: quam ob cauſſam etiam nunc de ea plura addere non poſſum, ſed incertus adhuc hæreo, ad quodnam genus proprie pertineat, quia florem eius non vidi. Interea tamen hic addere adhuc volui, quod hæc planta ab *Hermanno* in H. L. B. 375. *Lilium africanum*

africanum ſphæricum floribus obſolete puniceis minoribus, foliis guttatis et marginibus *cilii inſtar* piloſis, bulbo oblongo vocetur; ſed a *Plukenetio* in Almageſt. botan. *Lilio-narciſſus ſphæricus æthiopicus* foliis guttatis et cilii inſtar piloſis appellatur.

LVIII. ITALORVM quoque, in quorum regione, ſicut FERRARIVS ſcripſit, primum floruit, nullus eorum, qui plantarum icones poſt *Ferrarium* publicarunt, eius iconem exhibuit, multo minus *Ferrarii* pentapetalum Narciſſum correxit: imo ne vel nomen eius in *Tilli* aut *Michelii* amplis plantarum Catalogis *horti Piſani* et *Florentini* inveni; manifeſto, ni fallor, indicio, eum in Italia diu non adfuiſſe, adeoque *rariſſimum* eſſe: id quod nec *Galli* recentiores, qui icones novas publicarunt, quantum mihi ſaltem conſtat, præſtiterunt; ſine dubio, *quod eum vel prorſus non, vel ſaltem florere ibidem non viderint:* dum tamen plantæ tam pulchræ ac tam raræ veram iconem ac deſcriptionem habere operæ ſane pretium eſſet. *Deinde ex Italia.*

LIX. Sic nec in DILLENII Horto Elthamenſi ſplendidiſſimo, nec in Philippi MILLERI egregio Dictionario botanico, nec in MARTVNII iconibus, neque in ſcriptis *Linnæi*, mentionem eius factam inveni; ſine dubio, quia neque in horto Oxonienſi, Chelſeyano, Elthamenſi et Cantabrigienſi, neque alio forte Anglicano aut Londinenſi, neque in Vpſalienſi adhuc floruit: alias profecto mentionem eius diligentiſſimi hi viri feciſſent; unde, quam raræ plantæ et *Ferrariana* et noſtra BRVNSVIGIA ſint in Europa, et quod Botanici et hortulani noſtri non multum de ea noſſe vel diſſerere queant, facile intelligi poteſt. Et ſi forte etiam in poſterum adhuc deprehenderetur, *Ferrarii* plantam, quam ut *pentapetalam* et hic et *Moriſonus* et *Zinckenius* noſter deſcripſerunt, veram eſſe *hexapetalam*, vel *monopetalam*, in ſex lacinias profunde diviſam, ea tanquam ſpecies, quia apto nomine antea inſtructa non fuit, dum nullus Botanicus recentior methodicus inter *Lirio-narciſſi* vel *Amaryllidis* notas poſuerit *flores pentapetalos*, ad BRVNSVIGIAM noſtram referenda eſſet; ſin *pentapetala* re vera eſſet, ea quoque *peculiare genus*, imo peculiarem *ordinem* inter bulboſas conſtitueret; quia nullum tale adhuc genus liliaceum, ut ſupra iam dixi, notum eſt, quod *flores pentapetalos habet*, vel *quinque petalis* aut *laciniis* inſtructum eſt; cui vero nomen dare tunc debet aut poteſt, qui illam ita inveniet, et bene deſcribet. Nam profecto vix credo, quod vel *Moriſonus* vel *Tournefortius*, vel *Royenus* vel *Wachendorfius* aliique, qui *Ferrarii plantam* vel inter Lilio-narciſſos vel Amaryllidis ſpecies retulerunt, crediderint, hanc plantam vere *pentapetalam* eſſe, pro qua tamen *Ferrarius*, *Moriſonus* aliique eam deſcripſerunt, cum nulla alia *Lirio-narciſſi* ſpecies *pentapetala* ſit; nam ſi talis eſſet, omnino peculiare genus et ordinem requiſiviſſet. *Itemque ex Anglia et Sueccia.*

LX. Interea tamen noſtro horto hæc manebit gloria, quod hæc mea BRVNSVIGIA primum in Germania in eo, et quidem tam eleganter, ac tot floribus exornata, multo ſcilicet pluribus, quam ipſa *Ferrariana* in Italia, et *Moriſoniana* in Gallia, floruerit, et quod a me primum recte, vel ſaltem melius, quam antea, deſcripta atque horti noſtri Nutritori Sereniſſimo, atque munificentiſſimo Brunsvicenſium et Luneburgenſium DVCI CAROLO a me quam humillime in ſempiternam Eius gloriam ac honorem dicata et dedicata fuerit. Denique hic adhuc monere volui, me hoc in ſcripto varias *innovationes* botanicas, variaque *nova genera plantarum* conſtituiſſe, et varia *nova plantarum nomina* variis plantis dediſſe; verum hoc feci, ut varias plantas, confuſe adhuc expoſitas, curatius a ſe invicem diſtinguerem et in meliorem ordinem ac methodum redigerem. Hoc autem *nunquam ſine rationibus additis*, eisque, ut opinor, idoneis, feci; dum alii quidam illud etiam fecerunt, ſed ſæpiſſime ſine rationibus ullis adiectis, ita ut ſæpe non pateat ratio, quare hoc vel illud fecerint, aut cur ipſos ſequi debeant prudentes, qui actorum rationes deſiderant. E contrario ſæpe manifeſtatum imo demonſtratum eſt, quosdam plantarum *genera et nomina male mutaſſe* et *abſona* vel *mala* nomina formaſſe, qualia exemplis multis in ſyſtemate meo plantarum generali et in diſſertationibus botanicis meis indicavi, atque plura adhuc in- *Concluſio.*

dicare poſſum. Ita etiam *Aloeticas plantas* adhuc tanquam confuſum hactenus chaos conſidero; dum in eo unico *Aloes genere* Tournefortii, Commelini et Boerhavii, imo et Linnæi, tam ingens florum deprehenditur diverſitas, quæ nullo modo ſecundum rationalem methodum botanicam (quæ eſt, *ſimiles plantas* in fructificatione eſſe in idem genus coniungendas, *diſſimiles* vero disiungendas, et a ſe invicem in diverſa ſcilicet genera diſtinguendas) recte ſtare poſſunt. Ego enim *octo aut novem florum Aloarum* in figura valde notabiles ac *manifeſtiſſimas differentias* notavi, easque omnes etiam delineari, imo iam æri incidi curavi, quorum quædam etiam et *fructu et ſeminibus ſimul* a ſe invicem differunt; id quod quoque in *plantis capitatis*, nimis adhuc confuſis, itemque in *malvaceis* ac *labiatis* ex iisdem fructificationis fundamentis feci; ſicut, ſi Deus vitam et ſanitatem adhuc in poſterum dabit, publice brevi clariori et faciliori ratione oſtendam, eumque in finem iam magnam plantarum elegantiorum et rariorum copiam, quæ in horto Academiæ noſtræ Caroliniano per plures annos floruerunt, et vel ab aliis nondum vel ſaltem non ſatis accurate, aut prorſus male deſignatæ ſunt, coloribus naturalibus, naturali plerumque magnitudine, boni publici cauſa, haud ſine magno labore et cura, pingi curavi.

EXPLICATIO
TRIVM TABVLARVM
BRVNSVIGIAE

Tab. I. Fig. I.

AA *Radix* ſive *Bulbus*, ex innumeris ſquamis ex fusco rubentibus et imbricatim ſibi invicem impoſitis conſtans, *diverſiſſima* ab omnibus illis, quas vidi, plantis pictis vel æri inciſis, quæ ad ipſam aliquo modo accedunt; magnitudine naturali.

BC *Caulis* ſive *ſcapus*, qui e medio huius bulbi, foliis adhuc deſtituti, ſurrexit et totum illum florem compoſitum, ex tam multis minoribus conſtantem, produxit ac ſuſtinuit; magnitudine quoque naturali, et qui in altero latere D planus fere fuit, in altero convexus E.

D latus ſcapi *planum.*

E latus eius alterum *convexum.*

F *Valva vaginæ* ſive *involucri* fig. 3 altera, dextrum latus huius ſcapi, in hac dispoſitione occupans.

G *Valva* harum altera et *oppoſita*, ſiniſtrum eius latus tenens; in quibus valvis, tanquam in vagina ſive theca aut involucro, totus flos omnesque eius flores minores, qui flosculi dici ſolent, initio contenti fuerunt, ſicut hoc in fig. 3 Litt. FF, aliquo modo melius adhuc cognosci poteſt.

HHHH *Pedunculi flosculorum*, qui longitudinem quatuor vel quinque habuerunt pollicum, a caudice ad florem ita dispoſiti et expanſi, ut ſimul aliquo modo *globoſam* ſive *ſphæricam figuram* efficerent; inter quos multi erant erecti, quidam vero incurvati, et quidem ita, ut figuram accentus græci, *circumflexi* dicti, ~ aliquo modo imitarentur: quos ultimos potiſſimum litteris H indicare volui. Ceterum hi flosculi ita dispoſiti erant, ut quidam recta ſurſum ſeſe erigerent, quidam oblique deorſum, et ceteri in omnem ſphæræ ambitum ſe extenderent.

IIII Loca indicant, ubi pedunculi deſinebant et *flosculi* incipiebant.

K Pars ſuprema ſcapi ſive caulis, ex qua, tanquam centro, pedunculi flosculorum omnes, una cum *foliolis illis rubris* prodibant, et in omnem ambitum ſphæræ ſe ad flosculos extendebant.

L *Finis pedunculorum*, qui *triangularis* fiebat, atque ibidem in capſulam ſive *uterum* uniuscuiusque flosculi mutabatur; qua in parte etiam tandem floribus marcidis, *rudimenta ſeminum*, tanquam prolium, conſpici poterant.

MMMM *Flosculi*, naturali magnitudine et figura, quorum quilibet ex *ſex laciniis* ſive ſegmentis, in baſi cohærentibus, conſtabat.

NNNN *Flosculi nondum aperti*, ſed adhuc clauſi.

OOOO *Lacinia illa flosculorum* ſcapum reſpiciens, quæ in hac planta *maxime incurvata* ac reflexa erat.

PPPP *Lacinia* huic oppoſita atque exterior, quæ quoque, ſed minus plerumque incurvata erat; ceteræ quatuor laciniæ leviter tantum dehiscebant, et non in ſpeciem Martagi, ſicut de ſuo Narciſſo indico ſphærico *Ferrarius* refert, convolvebantur ſive reflectebantur; id quod uberius probat, BRVNSVIGIAM non eſſe *eandem cum hac plantam*, ſed ab ea *diverſam*.

QQQQ *Stamina flosculorum* una cum *capitulis* ſive *antheris* ſuis.

RRRR *Piſtilla* cum apice ſive *ſtigmate* obtuſo ſubrotundo, in quibus *punctum* ſive *exiguum foraminulum* conſpici poterat.

SSSS *Foliola longa anguſta*, *linearia*, *rubicunda*, quæ inter principia pedunculorum ex ſummo caudice duorum ad trium pollicum longitudine, et unius fere lineæ latitudine prodibant, atque *ornamentum* maius magno huic flori afferebant; unde forſan *ornamenta* vel et *foliola floralia* appellari poſſent.

Tab. I. Fig. 2 oſtendit *Segmentum* transverſum caulis ſive ſcapi floris BRVNSVIGIAE, ut de figura eius hinc plana, illinc convexa, tanto melius iudicari poſſit; quæ alias in paucis aliis plantis, præſertim bulboſis, ita obtinet.

aaa *pars* ſcapi huius *convexa*, *arcum* quaſi repræſentans et conficiens.

bb *pars* huic oppoſita fere *plana*, *chordam* quaſi huius arcus conſtituens.

cc *anguli* ſive latera, ubi arcus et chorda ſe invicem attingunt, obtuſa; quæ rara ſcapi et caulium inter plantas eſt figura, quaque etiam BRVNSVIGIA noſtra a quamplurimis aliis plantis ſe quoque diſtinguit.

Fig. 3. *Vagina* ſive *theca bivalvis*, aliter, quam in *Narciſſis* et *Lirio-narciſſis* vulgaribus fieri ſolet, ſe habens, quæ e radice primum prodibat, mox ſubſequente principio ſcapi florem totum univerſum, una cum omnibus eius flosculis et rubris ornamentis continens, initio, dum a bulbo emergit, clauſa, poſtea, ut hic conſpicitur, dehiscens.

AE. *Valva poſterior* vaginæ.

CD *Valva* eius *anterior*.

E *Hiatus* valvarum.

FFF *Flosculi clauſi* aliquot, qui primum ſeſe oſtendebant, et valvis tandem omnino ad horizontem expanſis, ut in Fig. I huius Tabulæ FG, flosculi ſenſim omnes aucti in conſpectum veniebant.

GH *Pars ſcapi ſuprema*, vaginam una cum flosculis et *ornamentis* ſuſtinens, atque brevi poſt exitum vaginæ e bulbo emergens.

Fig. 4. *Flosculus* unus *a parte anteriori*, expanſis ſex eius laciniis 1. 2. 3. 4. 5. 6. inſpectus; unde et *numerus* et *inæqualitas* laciniarum et figuræ horum flosculorum, ut et ſtaminum ac piſtilli magnitudo ac figura naturalis cognosci poſſunt.

1 *Lacinia* omnium *longiſſima*.

2. et 3 Laciniæ duæ, præcedenti magis vicinæ, et priori paullo breviores.

4 et 5 duæ, his rurſum paullo minores.

6 *Lacinia* omnium *breviſſima*, et longiſſimæ oppoſita.

a *Stamina* duo longiſſima.

b *Stamina*, duo his paullo breviora.

c *Stamina*, duo omnium breviſſima.

d *Piſtillum* cum apice ſuo paululum incurvato, in quo punctum ſive osculum conſpiciebatur, quod hic quoque indicatum eſt.

Fig. 5. *Duæ flosculi laciniæ*, ablatis ceteris, ut ſtaminum et piſtilli ortus ex receptaculo, ſicuti in plerisque Alois, aliisque multis bulboſis contingit, eorundemque vera ac naturalis *magnitudo* et *figuræ* melius cognosci queant.

a *Stamina* duo *longiſſima*.

b *Stamina* duo *breviora*, ſive mediæ longitudinis.

c *Stamina* duo breviſſima.

d *Piſtillum* cum ſtigmate ſubrotundo, in quo *punctum* ſive parvum *foraminulum* conſpiciebatur.

e *Germen* floris, ſive rudimentum primum capſulæ.

ff duæ laciniæ.

Fig. 6 *Piſtillum* ſolum.

aaa Pars eius maxima, *ſtylus* vulgo dicta.

b *Stigma* obtuſum ac ſubrotundum, in quo ſimiliter *foraminulum* ſive punctum patet.

c *Baſis*, ſive pars infima, germini vicina et continua.

Fig. 7. Oſtendit laciniam maximam, ſic, ut vera et naturalis eius longitudo et latitudo inde cognoſci queat; qua in re a *Ferrarianis* laciniis pag. 131 quoque differt.

Fig. 8. AA *Capſula* ſeminalis, triangularis, transverſim diſſecta, eiusque pars flori vicina, ut tria loculamenta 1, 2, 3, in ea conſpici queant.

BB *Stamina* cum *piſtillo* atque antheris adhuc duabus iam flaccida, huic parti ſupremæ adhuc adhærentia.

C *Semina duo* imperfecta naturali magnitudine.

D Vnum ex his, *microscopio* viſum et auctum.

Fig. 9. n. 1. 2. 3. *Capſulæ ſegmentum ſeorſim*, ut eius figura 1 triangularis et tres cellulæ melius videri queant.

Tab. II.

BRVNSVIGIA diverſa facie exhibetur, ſic ut pars illa bulbi et ſcapi, quæ in præcedenti prima in latere ſiniſtro fuit, iam ſit in anteriori. Itaque

A A *Bulbi* alia facies, quam in priori.

B C *Scapus* a parte plana viſus, ut ſic ſimul vera craſſitudo ſive amplitudo eius conſpici queat; quæ in priori videri non poteſt: ſed ſolum tantum, ac ſi dimidia tantum latitudinis pars eſſet.

D E Una ex valvis calycis cum plana ſcapi facie reſpondens, verſus ſcapum reclinata, coloris ex fusco rubescentis.

Reliquæ litteræ H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. indicant eadem, quæ in Tab. prima his litteris indicata ſunt, ita ut non opus ſit, ea omnia hic repetere, quæ ex Tab. I cognosci poſſunt.

Tab. III.

Quia *folia* huius pulcherrimæ plantæ, cum flos floreret, nondum aderant, nec unquam ſimul cum flore proveniunt; ſed poſt tres circiter hebdomades demum prodibant: ut planta hæc perfecta exhibeatur, folia etiam nunc, quæ admodum ſingularia ſunt, una cum bulbo, ut magnitudo, figura *linguæformis*, et quomodo inde prodierint, videri quoque poſſint, ſeorſim exhibeo.

A A *Bulbus* denuo exhibetur, et quidem integer, ut ſimul in parte inferiori a a a a eius *radiculæ*, quæ bulbum et totam plantam nutriunt, videri queant.

B C et B D *Folia* eius ſex, utrinque tria, prælonga et perampla, quæ in latere hoc B C integra, in latere autem illo B D, circa apicem paululum truncata, propterea ita exhibentur, ne charta maiore pro hac tabula, quam pro ceteris duabus, ad inæqualitatem tabularum evitandam opus ſit; quæ mente facile integra fingi poſſunt, cum non aliter ſe habuerint, quam ea, quæ ſunt in latere oppoſito, et quæ omnia *craſſiuscula* et *viridia* fuerunt: niſi quod in margine et apice levi rubedine tincta fuerint, et quæ usque ad menſis Maii circiter medium anni ſequentis 1751 perdurarunt ac viguerunt.

F I N I S.

Emendanda.

In paragraph. I. lin. 15. pro *Lilio-ſpho-* leg. Liriaſpho-
— — XXVI. pag. x. lin. vlt. pro *ſplendiſſimam* leg. ſplendidiſſimam
— — XXXII. lin. 5. poſt vocabulum *aliis*, add. quibusdam.
— — — lin. 7. poſt vocab. *fig.* add. 1 et
— — XLVIII. lin. 2. pro *Linnæus*, ponatur, Houſtonus Anglus
— — — lin. 3. pro *in Gener. ſuis* pon. vid. Linnæi Genera
pag. XXI. in fine notæ (*a*) adde, *iconibus exhibentur.*
— XXII. lin. 1. pag. 52, pon. 82.

Monitum ad Bibliopegam.

Tabulæ tres æneæ ad finem collocentur expanſæ, non complicatæ.

An den Buchbinder.

Die drey Kupfer-Tafeln ſind an das Ende, wie ſie ſind, zu binden und nicht einzukrümmen.

Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 8.

Fig. 9.



Fig. 1.



Fig. 4.



Fig. 6.



Fig. 5.

Fig. 7.

BRVNSVIGIA

BRVNSVIGIA

BRVNSVIGIAE
radix et folia.